

N. 13.



DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOSOPHICO-CRITICA
QVA
MVTATIONES
IN TEXTV CODICIS ALEXANDRINI
A GRABIO EX CONIECTVRA FACTAE
AD EXAMEN REVOCANTVR

QVAM
SVB DIVINI NVMINIS AVSPICIIIS
EX AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
P R A E S I D E
V I R O
EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
IOANNE LVDOVICO SCHVLZE
PHILOSOPHIAE DOCTORE
EIVSDEMQUE ET GRAECAE AC ORIENTALIVM LINGVARVM
PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
PRAECEPTORE SVO ATQVE PATRONO
PIO AMORIS AFFECTV AD CINERES DEVENERANDO

PRO
SVMNIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS

DIE XXXI MAII ANNI MDCCC LXVIII *ab.*

SOLEMNI RITV OBTINENDIS

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBICIET

A V C T O R
IOANNES HERMANNVS SCHWARZ
MAGDEBVRGICVS.

HALAE, TYPIS IOANNIS ANDRAEAE STEPHANI.

DISSERTATIO IN AEGYPTIIS PHILOSOPHICIS CRITICA

MUTATIONES

IN TEXTU CODICIS ALEXANDRINI

A GRABIO EX CONJECTURA FACTA

AD EXAMEN REVOCANTUR

AVIA
SVM DIVINI PAVLI
EX AUCTORITATE APOSTOLICA
P. N. A. S. S. I. D. S.
V. I. R. O.

EXCELLENTISSIMO AUSTRIAE AC BOHEMIAE

IOANNI FABRIVGO SCHWABE

PHILOSOPHO DOCTORI
SACRAE THEOLOGICAE FACULTATIS
PRAEFECTO VICE-RECTORI
IMPERATORIS AUSTRIAE PATRONO

ET OMNIBUS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

ET PRIVILEGIIS

DOTISSIMO AUSTRIAE AC BOHEMIAE

SOLEMPNITER OBTINENDIS

AVIA
SVM DIVINI PAVLI
EX AUCTORITATE APOSTOLICA

IOHANNES HERMANNUS SCHWABE

PHILOSOPHO DOCTORI
SACRAE THEOLOGICAE FACULTATIS
PRAEFECTO VICE-RECTORI
IMPERATORIS AUSTRIAE PATRONO

V I R O
EMINENTISSIMO
SVMME VENERABIL. ET AMPLISSIMO
D O M I N O
ADAMO STRVENSEE

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI LONGE CELEBERRIMO

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

DANIAE REGI

A SVPREMIS CONSILIIIS ECCLESIASTICIS

ECCLESIA RV M SCHOLARVMQVE

SLESVICENSIVM ET TOTIVS HOLSATIAE

SVPERINTENDENTI GENERALI

PRAEPOSITO GOTTORPII ETC.

GRAVISSIMO

PATRONO MAXIMO

ET
V I R O
PLVRIMVM VENERANDO, EXCELLENTISSIMO
D O M I N O
SAMVELI HELMICH
SERENISSIMO DANIAE REGI
A CONSILIIIS SACRIS
NEC NON P. T. ECCLESIAE OLDESLOENSIS
PASTORI PRIMARIO
AVVNCVLO OPTIMO
SPECIMEN HOC ACADEMICVM
OMNI, QVA DECET, PIETATE

D. D. D.

OBSERVANTISSIMVS ADDICTISSIMVS QVE

A V T O R.



SECTIO I.
QVAE EST PRAEPARATORIA.

§. I.



Si quod vnquam studium multis variisque premitur difficultatibus atque magnam requirit doctrinam, eximiamque mentis solertiam, profecto id est, quod criticum appellare solent. Quid enim est difficilius quam inuoluta explicare, obscuris lucem afferre, ea quae multorum seculorum inuidia occulta ac verustate fere exesa sunt, oculis subiicere: et vt breuiter dicam, quid laboriosius, quam iudicare, quid integrum sit, deprauatumue, genuinum et spurium, emendare corrupta, nec vlla in re a veritate desistere, sed mediocritatem potius, hanc optimam regulam, tenere? Quare etiam ii, qui felicem in eo habuerunt progressum, oprimo iure magnam laudem, summosque honores sunt consecuti, ita vt eorum neque memoria intermoritura vnquam, neque laus peritura sit. Declinaremus a nostro instituto, si quae veram criticae artis indolem ac naturam constituunt, quaeque ad hanc cognoscendam desiderantur, multis explicare ac tradere vellemus. Omnia ea, quae iam diximus, hanc ob rem praemisimus, vt omnibus nostrum probaremus propositum, vtque magnorum illorum atque immortalium Cl. GRABII meritorum splendorem vnicique quasi ante oculos poneremus.

A

§. II.

§. II.

Sunt profecto Viri celeberrimi merita tanta, quanta ab homine quodam mortali, expectari possunt; quae si omnia non dicam exornare, sed enumerare vellemus, copiosa opus esset oratione. Mittamus igitur praeclaram rectam et honestam eius vivendi rationem, quam iure ac merito fructuosam hominum generi dicere possumus. Mittamus gloriosas memoratuque dignas eius virtutes, quibus ornatus praeditusque fuit. Mittamus eius cetera praestantissima de doctrina et literis, merita, quae tanta sunt ut maximis laudibus dignissima essent, si per nostri instituti limites liceret, illis recensendis vacare. Ea modo proferamus, quibus de LXX. interpretum editione ex *alexandrino* Codice meritus est. Et de his quidem pauca praefari constituimus.

§. III.

Quamprimum consilium de edendo codice *alexandrino* inierat, omnem dedit operam, ut nobis necessariam vtilemque de eo traderet notitiam, ut demonstraret, unde suam traxerit originem, cuius manu scriptus sit, quam aetatem illi tribuere possimus, quibus laborer vitiiis, quaeque in eo diiudicando observari debeant. Quanto labore et studio haec omnia absoluerit, quam incredibilem diligentiam adhibuerit, quam accurate denique etiam minutissima confectus sit, illi modo intelligent, qui prolegomena, quibus huic bibliorum graecorum editioni insigne decus accessit, legerunt, quique sciunt, quale sit genus scribendi veterum et quam multa tenere debeamus, priusquam talem laborem suscipere possimus. Longum esset, ea omnia lectu dignissima commemorare, si quis ea scire cupiat, Cl. GRABII adeat prolegomena.

§. IV.

Non docuit autem tantum, quae praestari deberent, sed ipse etiam omnia diligenter, accurate ac fideliter praestitit. Exstat iam praestantissima Cod. *alex.* editio (quae Oxonii inde ab anno Christi MDCCVII. tomis IV. edita est.) in qua edenda imprimis eo laboravit, ut ne tantillum quidem ab exemplaris sui autoritate discederet, sed ipsum semper ad literam, quoad per scribendi rationem fieri potuit, perquam fideliter exprimeret. Testem habemus de hac re ipsam GRABII epistolam ad MILLIUM, cui cum de romanorum

rum

rum editorum mendis conquestus esset, his verbis finem constituit:
 „Atqui ne idem in nostra alexandrini codicis editione contingat, sed
 „haec, quoad eius fieri potest, exacta sit atque accurata, non mo-
 „do diligenter cauebo, ne vllum ei vitium inferam, verum etiam
 „operam dabo, vt omne propemodum iniuria temporum, vel ho-
 „minum, siue scribarum, siue Antiquariorum vti vocari solent, ei
 „iam pridem illatum, e medio tollam. Prius, vt deuitetur, ne
 „literam quidem murabo, nisi moderna scribendi ratio id prorsus
 „exegerit.„ Laborauit deinde, vt probe distingueret ea quae recen-
 „tiori manu in MS. erant addita, ab iis quae manus antiqua tradide-
 „rat, vtque non tantum literam vnamquamque, et lineolas super-
 „scriptas, sed literas etiam semiexesas, siue dimidiatas, obseruaret.
 Quis iam illo diligentior in recte legendis et exacte describendis li-
 teris fuit? quis in edendo accuratior? quis fidelior in indicandis
 erroribus, quos tamen facile reticere potuisset, sicuti omnes
 fere, qui MSS. ediderunt, editores fecerunt, vt eius, quod ede-
 bant, Manuscripti, laudi inseruientes, ea in quibus vel reprehende-
 re aliquid vel requirere possis, ab oculis remouerent. Quid igitur
 nonne haec editio, ceteris praestat? Nonne Complutensi?
 quae saepius siue ad textum hebraicum siue ad versionem latinam,
 qualis tum extabat, concinnata esse puratur. *) Nonne Aldinae?
 quae multis in locis per operarum lapsus aberrat. **) Nonne Ro-
 manae? in qua per immoderatam licentiam hinc inde peccatum esse
 constat. ***)

§. V.

At, dixerit aliquis, coniecturis tamen suis hanc editionem adul-
 terauit. Grauiissima est haec accusatio, iam de ea videamus. Re-

A 2

pre-

*) Iam ante GRABIVM, FLAMINIUS NOBILIVS editionis complutensis fidem
 dubiam reddere laborauit. Multa etiam contra eandem monuerunt FRAN-
 C. LEE, LAMB. BOS aliique. Quae nostro tempore non sine rei criticae
 commodo egregio inter S. VEN. SEMLERVM et Reu. GOETZIVM de
 hoc argumento disputata sunt, inter Eruditos fugiunt neminem.

**) Praeterea varia in eam glossemata irrepsisse a viris doctis obseruatum est.

***) Sixtinam editionem parum fideliter ad exemplum MS. Codicis expressam
 esse, praeter GRABIVM eosque, qui Cod. alex. prae vatic. praestantiam
 adstruxerunt, obseruatum etiam est a WALTONO aliisque qui Codicis va-
 ticani praestantiam defenderunt.

prehensione omnino vix caret haec nimia audacia, qua coniecturas in ipsum textum intulit, quae potius infra textum ponendae fuissent: sed adulterationem eam appellare, nimis acerbum ac seuerum videtur. Euoluamus Codicem ipsum ab eo editum et videamus quid fecerit. Quid? num *alexandrini* codicis lectionem extinxit, deleuit? Nonne in margine exstat? Nonne igitur conseruata est? Audiamus ipsum in prolegomenis de hac re ita loquentem: „Sunt pauca quaedam loca, quae sola coniectura, quam authenticus textus hebraeus mihi aliusue suggestit, emendare ausus sum, *alexandrina* tamen lectione in margine apposta; vt si cui emendatio nostra minus placeat, hac expuncta, illam substituere queat.„ Quod si quis adulterationem atque deprauationem dicere voluerit, concedere debemus. Sed quis prudens, quis modestus ita loquetur? Nos quidem semper sapientis viri esse iudicauimus, liberum ac sincerum suum iudicium dicere (his enim laboribus crescit eruditio, his augetur) nobisque permittere, optima ex nostra conscientia et religione eligere. Quod cum iam fecerit, quis est, qui illum reprehendat? Nullus profecto, nisi is, qui ea, quod Deus omen auertat! reuocat tempora, quibus non permissum erat, vt quis, quid sentiat, nobis aperiret. Sed abiit iam et transuecta est tristis illa aetas, praeteriit tempus, quo illum, qui *ἀγορευτός* dicebat, sensumque verum librorum diuinorum restituere volebat, e coetu christianorum eiiciebant, grauissimis verborum contumeliis lacerabant, et si per civilem potestatem fieri poterat, ad rogam condemnabant, spiritum sanctum correxisse clamantes. Laudamus igitur institutum GRABII, quo nos suam de his locis mentem aperuit, sed illud quo vt in ipsum textum intulerit, commotus est, nullo modo approbamus.

§. VI.

Tantum etiam abest vt omnes omnium inanes et temerarias coniecturas ac deprauationes laudemus ac comprobemus, vt potius existimemus, magna opus esse circumspectione, multo iudicio et quadam ingenii felicitate, ne in textu, qui nunc in manibus est, refigendo nimis faciles simus, Cl. GRABII non aliter existimasse, patet ex instituto. Quibus enim in locis adhibuit has coniecturas? in iis profecto, vbi ex eius opinione, ratio manifesta eas omnino postu-

postulabat, vbi exemplarium autoritas lectionem non determinabat. Quod si semper fecissent ii, qui inter christianos Criticam professi sunt, LXX interpretes minus vitii laborassent. Sed cum multi ex eorum numero et fere omnes veteres non solum hos, sed etiam, quod incredibile memoratu, Librarios, a spiritu sancto, nescio qua superstitione, ductos inspiratosque esse putauerint, hanc versionem tam multis mutatam esse lectionibus videmus. Quid igitur mirum, si illi, qui primum in diiudicandis his scriptoribus, Criticam adhibuerunt, et qui nos dilucide docuerunt, et interpretes illos interdum, vt dicunt, vage et crassus interpretatos esse, et Librarios multis in locis errasse, multas infestationes tolerare vocesque contumeliosas audire debuerunt? Quid mirum, si ipsa nostra aetate, licet illustratissimam dicere soleant, in dies fere haec conuicia audimus et legimus? Quid denique mirum, si quidam insurrexerunt viri, tam versionis *Alex.* operi, quam editori valde infensi, qui GRABIVM hac de re vehementer et improbe acceusarunt?

§. VII.

Nullo tamen tempore defuerunt rei criticae patroni, qui non solum causam eius defendendam in se susceperunt sed etiam eos, qui hac in arte multum praestiterunt, admirati sunt, religiose animoseque defenderunt, atque maximis laudibus ornarunt. Quod etiam Cl. GRABIO contigisse quis est qui nesciat? Iam etsi studium eius laboremque comprobemus, maximisque dignum putemus laudibus: tamen non omnes huius viri coniecturas adprobamus, nec eius errata defendimus. Quam quidem ob rem sequentem instituimus diiudicationem. Sed quid? nonne doctorum reprehensionem vereri debebimus? Veremur omnino, nec suscepissemus hunc laborem, nisi ductu Praesidis Celeberrimi facere potuissemus, cuius singulari benignitate non solum libros ad hanc dissertationem componendam necessarios accepimus, sed qui nos etiam ad inchoata exsequenda excitauit, nostramque tenuitatem adiuuit, pro quo ei, vt par est, publicas iam gratias agimus, semperque agemus. Sufficit de reliquo nobis, si hic labor et conatus non omnibus displicuerit.

§. VIII.

His praemissis, iam ipsum tractationis argumentum ordiri, possemus, nisi duplicis generis occurrerent correctiones, de quibus, ut pauca dicamus, reliquum est. Correxerit nimirum GRABIVS loca quaedam auctoritate patrum scriptorumque ecclesiasticorum, quorum scripta comparavit, ex quibus, quaeenam lectio, ubi inter se discrepant, sit praefenda, perspexit. Quam felix plerumque in his emendationibus fuerit, omnes qui Proleg. ad Tom. I. Cap. 3. §. 7. adeunt, videbunt. De his autem hic non quaerimus. Omnis nostra inquisitio pertinet ad illas, quas GRABIVS ex ingenio fecit, a quibus etiam istae distinguendae sunt emendationes, quas animo quidem conceptas habuit, necessarias autem non putavit, cum illae, ut inquit, non aequae faciles, vel certae sint. Conf. Proleg. ad Tom. I. Cap. 4. §. 2.

SECTIO II.

IN QVA LOCA VERSIONIS τῶν LXX.
A GRABIO EX CONIECTVRA EMEN-
DATA AD EXAMEN REVOCANTVR.

CAP. I.

EXAMEN CONIECTVRARVM, QVAE IN OCTA-
TEVCHO OCCVRRVNT.

§. I.

Expositis Cl. GRABII meritis, traditisque iis, quae et ad aequam harum coniecturarum diiudicationem et ad discrimen, quod intercedit inter eas correctiones, quas GRABIVS ex ingenio fecit, easque quas auctoritate patrum scriptorumque ecclesiasticorum fieri posse existimavit, pertinent; iam ad illa loca, quae sola coniectura emendare ausus est, quaeque pertractanda nobis proposuimus, progrediamur. Primus, qui occurrit locus exstat Genes. Cap. XXXI, 7. ubi δέκα μνῶν loco δέκα αἰνῶν et v. 41. δέκα μνῶν pro δέκα αἰνῶν posuit. Minus apta est haec GRABII coniectura, adeoque infe-

infelix emendatio. Mirari fatis non possumus, idem hoc loco accidisse GRABIO, quod Cap. III. Proleg. ad Tom. I. §. 3. BOCHARTO vitio vertit, qui vocem קִשְׁטִי Gen. XXXIII, 19. Ios. XXIV, 32. Hiob XLII, II. non de *agno*, sed de quodam nummorum genere explicandam esse putavit. Quod si minus recte, ut existimat, a BOCHARTO factum fuerit, idem sane hoc loco valebit de GRABIO. Eadem enim est interpretationum diversitas quoad vocem מִינִים de qua iam disputamus, vitio quae vel de agnis vel de Minis, seu determinato quodam nummorum genere explicari solet. Priorem sententiam amplexi sunt ע LXX. posteriorem GRABIVS suam fecit. Videamus itaque quibus suam hoc in loco sententiam confirmet argumentis ac rationibus, quibusque ea refelli et refutari possint. Provocat ad vocem מִינִים , quam 3 Reg. Cap. X, 17. Esdrae II, 69. Nehem. VII, 71. 72. Ezech. XLV, 12. occurrere putat. Ita est, occurrere videtur, si eam sine punctis legimus. Longe autem aliter se habere, manifeste apparet, si punctatum dhibeamus Codicem. Versio enim טֹוֹן ע nititur errore horum interpretum, qui h. l. vocem מִינִים permutarunt cum מִינִים , quae posterior vox istis in locis, quae a GRABIO allegantur, *minas* s. pondus determinati valoris significat. At, dices, unde ortus est hic error? Nihil facilius, quam hoc, doceri potest. Nam cum absque dubio vsi fuerint Codice non punctato, vocem non punctatam מִינִים legerunt מִינִים (quasi a sing. מִינִי) cum tamen legenda sit מִינִים (quae est *אֵפ. λεγ.* adeoque nomen plurale tantum, cuius significatio *vices* repetenda est a generali significatione *numerandi*, quem radix $\text{מִנַּה$ habet teste ע v. s. etio in Commentariis linguae hebr. ad h. v.). Et ita quidem legendum esse, iam viderunt alii interpretes graeci, qui in tota hac re diiudicanda, nullo modo negligendi sunt. Sic *Aquila Hebr.* מִינִים קִשְׁטִי verit *δέκα ἀριθμοίς*. *Symmachus*, *δεκάκις ἀριθμῶ*. Et EUSEBIUS ad h. l. observat: *ὁ Σύρος, δεκάκις, ἀντὶ τοῦ πολλοῦ.*

Scolion. Exstat memoratu dignus locus ex ORIGENE apud MONTFAUCONIVM in Hexaplis ad h. l. Tom. I. pag. 40. *Ἀκύλας δέκα ἀριθμοὺς ἔλεγε, Σύμμαχος δεκάκις ἀριθμῶ. Ἐλεγει οὖν, Φησὶν ὁ Ἐβραῖος δεκάκις ἠθέτησε τὰς συνθήκας πρὸς τὸν Ἰακώβ ὁ Λάβαν, διὰ τὸ τὰ γεννωμένα ἐπ' ὀνόματι τοῦ Ἰακώβ πλείστα ὅσα ὑπάρχειν, κἀκείνον ἐποφθαλμῶν αὐτόν ὅπερ ἐδήλωσαν αἱ δύο ἐκδόσεις.* „Aquila
decem

„decem numeros dixit; Symmachus decies numero. Dicebat igitur, ut ait
 „Hebraeus, decies pacta cum Iacobo inita violauit Laban: quia quae no-
 „mine Iacobi gignebantur, quam plurima erant, ita ut ille inuidia moue-
 „retur? quod duae editiones declarant.,

§. II.

Haec cum sit erroris ab interpretibus graecis h. l. commissi ratio, non indigemus illa ingeniosa GRABII coniectura, qua huius mutationis culpam Librariis tribuit. Putat enim, illos per literam finalem proxime praecedentis vocis δέκα ad errorem istum perductos fuisse, ut pro δέκα μινών scriberent δέκα αινών et deinde v. 41. δέκα αινώσιν pro δέκα μινώϊς imprimis cum in hoc ipso capite agnorum Iacobo pro mercede datorum facta sit mentio. Fatemur quidem, multos in sacris literis occurrere locos, in quibus ea aliaque Librariorum scribendi vitia existare videntur, quo imprimis referendus est notatu dignior locus Pl. XXXIX, 6. de quo conferendae sunt LAMB. BOS Animadu. crit. ad istum locum: tamen ob rationes iam commemoratas dubitamus, huic sententiae accedere. Quae cum ita sint, rectam se habere vituperationem τῶν ὁ. in loco ex HIERONYMO allato obuiam, iudicamus, cuius verba haec sunt: „Pro eo quod nos posuimus — decem vicibus, LXX interpretes posuerunt decem agnis, nescio qua opinione ducti.„ Si quis denique nobis persuadere veller, GRABII sententiam approbare, ei primo fortasse in loco ex parte, numquam in posteriori cederemus. Primo quidem loco (scil. v. 7.) probabilior est, quam loco posteriori (v. 41.) Fere enim dubitari potest, num ex μινώϊς ortum sit αινώσιν, ut supponit GRABIVS.

Schol. Adiungimus duas coniecturas, quae quidem etiam a GRABIO suam trahunt originem, sed non tanti momenti atque ponderis sunt, ut longam de illis inquisitionem et inuestigationem instituamus. Exstat

Prior Gen. Cap. XLIII, 5. *) vbi Codex alex. habet εἰ ἔστιν ὑμῶν ἀδελφός; GRABIVS autem ἔτι substituit in locum verbi ἔστιν. Multa argumenta

*) Ne quis hunc versiculum in Codice vaticano frustra quaerat, notandum est, cum iuxta Cod. vatic. esse sextum, iuxta alex. autem quintum; quae varietas inde oritur, quia verba ista ὁ δὲ λιμὸς ἐνίσχυσεν ἐπὶ τῆς γῆς, quae in cod. vatic. versiculum primum constituunt in cod. alex. finem faciunt praecedentis. Praestat partitio in Cod. vatic. obseruata, utpote quae proprius ad textum hebraicum accedit.

menta in eius nos abducunt sententiam, quod nimirum Librariis haec mutatio sit tribuenda. Quae a GRABIO sunt producta primum proferramus, nostra deinde addamus. Ille pronocat α) ad hebraeum Codicem, vbi vocabulum רָע , *adhuc*, diserte positum est, quod nullo modo suspiciosi hariolationis locum aperire potuit. Docet β) hanc lectionem e versu sequente existitisse, vbi eadem verba recurrunt. Recte cum ita iudicasse, quis est, qui neget? Vnusquisque sibi huius rei exemplo esse potest. Quoties enim negligimus seriem verborum, si in sequentibus quaedam occurrunt, quae sunt similia iis, quae describere debebamus! Peritissimus etiam Librarius in iis literis describendis interdum errabit. Nos adhuc apponimus, quod vis atque pondus verborum particulam עַתָּה desiderare videatur, omnis contra textus satis bene intelligi possit, si etiam vox עַתָּה abest, quod patet e sequente versu 7. et 41. vbi particula רָע existat, quam עַתָּה per עַתָּה explicarunt, haud apposta voce עַתָּה .

Posterior, Cap. XLIX, 31. vbi עַתָּה mutavit in עַתָּה . Non noua est haec, quam GRABIVS protulit, sententia. Etsi enim MONTFAUCONIVS in Hexaplis, ad h. l. nihil de lectione עַתָּה attulit, tamen LAMB. BOS in sua רָע editione iam monuit, quosdam libros veteres h. l. legere עַתָּה . Sed videamus, quibus argumentis eam suffulciat. Pronocat primum ad textum hebraeum, vbi verba $\text{וְהָיָה לְעָמָל וְלְעֵינָם וְלְעֵינָם וְלְעֵינָם}$ *ibidem* ego *Leam sepeliui*, legimus. Putat deinde, ipsam rei veritatem requirere hanc mutationem, non sine ratione. Si enim locum Cap. XXXV, 19. 20. inspicimus, patet Iacobum ipsum, suam mulierem alteram Rahelem sepeliuisse. Iam si etiam nihil nobis de morte ac sepulcro Leae atque de illis, qui eam sepelierunt narraretur, tamen colligeremus, illum cum suis etiam Leam more omnium gentium, nisi domo absit, sepeliuisse. Quae cum ita sint, nos, si etiam ipsi עַתָּה ita reddidissent hebraeum textum, sique omnibus aliis careremus argumentis, quibus Librarios in culpa esse efficere simulque hanc GRABII sententiam confirmare atque probabilem reddere possemus: tamen ob rationes iam exhibitas in eius discederemus sententiam. Habemus autem, praecunte GRABIO, vnde huius falsae lectionis causam ducimus; scilicet e praecedentibus verbis, atque quia vnum idemque vocabulum עַתָּה bis hoc in versu praecessit, scribas illud reposuisse colligimus. Sed ad aliam maioris momenti coniecturam progrediamur.

§. III.

Exodi Cap. XVI, 14. GRABIVS mutavit λευκόν in λεπτόν . Diu multumque dubitauimus, vtrum haec translatio suam originem duxerit

B

xerit

xerit a LXX interpretibus, an esset emendatio Librariorum; et pa-
 rum abfuit, quin existimarem, eam τὸς ὁ tribuere. Diligenter
 autem, examinatis, quae nobis obstabant, argumentis, videre mi-
 hi videor, esse Librariorum emendationem. Ne autem quis nos aut
 autoritate GRABII, aut praecipiti adsensu ductos iudicet, primum
 examinemus eius argumenta, nouum deinde addamus, denique vn-
 de ortum sit hoc vitium videamus. Quod ad primum atinet, pro-
 uocat GRABIVS imprimis ad hebraeum textum, vbi vocabulum פָּ
 exlat; quod quidem argumentum minoris esset momenti, quoniam
 τὸς ὁ saepius a veritate hebraica aberasse scimus, nisi sequentia ad-
 didisset verba: „quod λεπτόν in hoc ipso versu redditur.“ Ipse
 igitur parallelismus membrorum huius versiculi efflagitat hanc
 GRABII emendationem. At, dices, consensus omnium fere ver-
 sionum pugnat aperte contra istam sententiam. Si enim in Libra-
 rio huius vitii culpa residet, vnde quaeso iste consensus tam vario-
 rum diuerforumque codicum? Argumentum illud habet omnino
 vim quandam, quae tanta est, vt diu in dubitationem nos adduxe-
 rit, num GRABII sententia adprobanda esset. Nunc autem mul-
 ta habemus, quae respondere possimus. Prouocamus imprimis hac
 in re ad loca similia, in quibus maiori cum certitudine, vt haec il-
 lae lectio vitium Librarii sit, efficere possumus, quamquam omnes
 fere Codices consentiant. Ita esse nouimus in loco isto iam antea
 commemorato Pf. XXXIX, 6. vbi omnes, quantum scimus, Co-
 dices consentiunt in lectione σῶμα, quam etiam Paulus Ebr. X, 5.
 expressit, eisi eam Librariis tribuendam esse vix dubitandum sit.
 Nunc, si cogitamus, haec aliaue Librariorum vitia iam Apostolo-
 rum tempore exstitisse, non vnde ortus sit iste, quam laudant, con-
 sensus, mirabimur. Vbi enim sunt isti codices, quorum originem
 ante Apostolorum aetatem ponere possemus? Accedit ad haec, quod,
 si omnia ad viuum refecare voluerimus, hic consensus non sit tam
 vniuersalis, quam putant. Vocabulum enim λευκόν suspectum fuisse
 nonnullis veterum interpretum, colligi potest e Cod. oxon. a quo
 abest ista vox λευκόν teste BOSIO in varianibus lectionibus ad h. I.
 Et hoc quidem est nouum illud argumentum, quod addendum esse
 putauimus. Reliquum est, vt, vnde Librarii haec verba transtule-
 rint, dicendum esse videatur. GRABIVS ipse responder ad hanc
 quae-

quaestionem. „Librarii, inquit, haec verba λεπτόν ὡς τε κόριον, „λεπτόν ὡς τε πάγος Tautologiae vitio laborare rati, λευκόν ex sequente versu 31 huc transtulerunt, illud praecedenti κόριον iungentes. „ De eo quod Librarii has aliasque mutationes susceperint, nobis dubium non est. Patet ex ipso alex. Cod. de quo GRABIVS in Proleg. Cap. I. §. 8. ita loquitur: „Notandum quod Cod. alex. „ab ipso scriba, vel quopiam eius coaeuo, cum Autographo aut „cum alio potius codice fuerit collatus ac subinde emendatus, nec „non in margine suppletus, licet aliquando parum recte. „

§. IV.

Mox eiusdem Cap. XVI. versu 23 pro αὐτὸ posuit αὐτοῖς. Putavit hebr. דָּבַר requirere hanc emendationem. Sed satis infelix fuit haec GRABII emendatio, quippe quae plane non consistere potest cum hebr. דָּבַר, quod potius graece vertendum esset ὁμῶν. Repugnat etiam series orationis, quia Moses h. l. ducibus populi praecipit, quanta pars Mannae sexto quouis die colligi debeat. Aptius omnino est huic loco pronomen secundae personae vobis, quam pronomen tertiae personae illis vel sibi. Posterius enim tantummodo locum haberet, si in tertia persona futuri sermo institutus fuisset: quod tamen hoc loco nemo dixerit, qui novit וְיָצִיא esse Imperativum, non autem Futurum Hiphil. Nisi itaque statuere malleamus, in textu hebr. h. l. pro דָּבַר legendum esse דָּבַר, quod tamen nec contextui satis aptum esset, nec sine codicum auctoritate defendi posset, plane non admitti poterit GRABII coniectura ista. Vitium tamen hoc loco in versionem τῶν ὁ irrepsisse facile concedimus, cum recepta lectio αὐτὸ iisdem prematur difficultatibus, quas iam contra grabianam movimus. Si nostrum interponere liceat iudicium, putamus, hoc loco plane omittendam esse voculam αὐτὸ, quae si quid videmus, originem suam repetit a primis sequentis versiculi verbis. Hic enim in textu hebraeo sic incipit: וַיִּבְרְאוּ אֱלֹהִים et reliquum fecerunt s. deposuerunt illud, quae in versione τῶν ὁ. sic efferuntur, καὶ κατέλειπον (Cod. Vatic. quidem κατέλειπον) ἀπ' αὐτῶν, pro quo ἀπ' αὐτοῦ, aequo iure dici potuisset αὐτὸ. quae etiam, si coniecturae locus sit, quorundam forsitan codicum fuit lectio. Quicquid sit, ipsa illa vox וַיִּבְרְאוּ occasionem dedisse videtur lectioni istī, de qua iam disputatur.

Schol. Iterum hic subiungimus duas coniecturas, quae haud adeo magnis obstructae esse videntur difficultatibus. Exstat

Prior, Cap. XIII, 4. vbi loco χειρὸς substituit μαχαίρας. Prouocat ad textum hebraicum, vbi vocabulum מַחֲבֵרִים exstat, quod hanc coniecturam exigere putat. Nos LXX interpretibus tribuissent culpam, quos suum saepius priuatum interposuisse iudicium iam scimus; nisi inuenissemus varias occurrere mutationes, quae suam a glossmate, vt dicunt, originem trahunt. Lectio χειρὸς tale glossema esse videretur, quod ad illustrandam vocem μαχαίρας ad marginem adscriptum, deinde autem Librarii cuiusdam culpa in textum illatum fuit: quia dicendi formulam מַחֲבֵרִים הַצֵּיִר longè vfitatiorèim atque ad sensum exprimendum aptiorem, quàm הַצֵּיִר מַחֲבֵרִים iudicabat.

Posterior, Cap. XXXVII, 22. ὅλη τορευτή leui vocalium mutatione fecit ex ὅλοι τορευτοί. Vnico tantum vsus est argumento e loco parallelo Cap. XXV. v. 36. petito, vbi eadem verba in eadem coniunctione occurrunt. Quod quidem argumentum tantam habet vim, vt omnibus reliquis carere possimus; nam verisimile vix est, vt vnus idemque interpres, nulla necessitate coactus, cum iisdem verbis in eadem connexionione, modo hunc, modo illum coniungeret sensum. Huic tamen consensum lectionis *grabianae* cum textu hebraeo addere possumus. Nec dissensus vnus editionis *complut.* multum efficere potest contra consensum reliquorum Codicum, qui pugnant pro lectione ὅλη τορευτή.

§. V.

Porro Numerorum Cap. IIX, 19. Cod. *alex.* habet: ἐν ἔσση ἐν τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ προσεγγίζων τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ πρὸς τὰ ἁγία, quae *AVGUSTINVS* in Locutionibus de libro Numerorum ita ad verbum de graeco exprimit: non erit in filiis Israel accedens filiorum Israel ad sancta. *GRABIVS* autem hunc textum mutilum partim, partim deprauatum iudicauit. Quam quidem ob rem omnem dedit operam, vt nobis verum ac genuinum restitueret textum. Laudem omnino meretur haec emendatio, quam ipsa codicum varietas defendit: quae dilucide apparet, si Codicis *Alex.* lectionem h. l. comparamus cum Cod. *Vatic.* in quo legitur tantum προσεγγίζων πρὸς τὰ ἁγία, ita vt omissa sint verba textus hebraei בְּנֵי-יִשְׂרָאֵל. Ex his iam patet, lectionem Codic. *alex.* h. l. (si etiam abstrahatur a correptione *grabiana*) meliorem esse ea, quam habet Cod. *Vatic.* Integrum tamen non esse sensum huius loci secundum lectionem Cod. *Alex.* facile concedimus. Recte itaque

GRA-

GRABIVS medelam; ad h. l. atulit. Ac priori quidem vitio ita, vt post *וַיִּסַּע יִשְׂרָאֵל*, exemplo *Complutensium*, quos h. l. secutus est, suppleuerit *πληγή*. Hanc vocem supplendam esse iubet textus hebraicus, vbi vocabulum *פָּגַעַת* *plaga* diserte positum est, et suadent duo Cod. *Arabici*, qui hoc loco inferunt vocem *darbaton*, quae plagam significat. Iam si cogitamus, quam accuratam, egregiam ac singularem in his imprimis Numerorum et Deuteronomii libris ambo scribae Arabes adhibuerint diligentiam, quanto studio in eo laborarint, vt nobis omnia, etiam signa, incorrupta redderent, non est, quod dubitemus, eos optimis vsos esse chirographis. Quod cum ita sit, sequimur GRABII sententiam, qui hanc aberrationem non interpretis, sed Librarii esse existimat. Posterius autem facili, vt dicit, coniectura correxit, ita vt ex *προσεγγίζων τῶν* vnum fecerit verbum *προσεγγίζοντων*, cuius coniecturae probabilitas multis effici potest argumentis. Scimus enim, in plurimis antiquis codibus verba continuo literarum nexu fuisse inter se iuncta, et si etiam aliquando minori spatio atque puncto distincta fuerint, paucis tamen in locis recte hoc factum esse, quare saepius vnum verbum in describendo ad sequens tractum fuerit a Librario. Deinde de literis consonantibus pariter ac vocalibus diphthongisque notandum, quod illae hinc inde, hae autem vbique fere locorum ac saepissime sint inter se permutatae, quod imprimis in Codice *alex.* factum docuit GRABIVS in Proleg. ad Tom. I. Cap. I. §. 6. Quod si verum, vt nemo qui modo parum in antiquis Codicibus versatus est, negabit, facile intelligimus, hanc coniecturam, scilicet, quod hoc mutationis literae *o* in *ω* et falsae interpretationis vitium sit Librarium, credibilem esse probabilemque. Hac re demonstrata aliis argumentis, aliud quoddam ex hebraeo textu addidit, quod nimirum hoc verbum *προσεγγίζοντων* sequentibus *וַיִּסַּע יִשְׂרָאֵל* iunctum hebraea *וַיִּסַּע יִשְׂרָאֵל וַיִּפְגַּע* accurate exprimat. Quis enim non perspicit, haec verba, si ea in isto quo nunc leguntur occurrunt positu: *καὶ ἔπειτα ἐν τοῖς ἑσῶς Ἰσραὴλ ἄ· πληγή προσεγγίζοντων ἑσῶς Ἰσραὴλ πρὸς τὰ ἄγια*, consideramus, longe esse accommodatiora ad hebraeum textum exprimendum, longeque aptiora ad scriptoris sententiam significandam.

§. VI.

Num. Cap. XIII, 33. ἐνσασι τῆς γῆς pauorem terrae, vt AVGVST. Quaest. 22. in Numeros habet, mutauit, praecunte IVNIO in Notis ad MS. alexandrinum, in ἐνσασι τῆς γῆς infamiam terrae, iuxta Hebraeum וְנָסָה אֶת־הָאָרֶץ. Varias diuersaeque huius vocis תַּבַּי translationes, quam LXX. sequenti Cap. XIV, 36. ἐπιματά πομπῶν, Pf. XXI, 3. et Ier. XX, 10. ψόγον, Prou. 10, 18. λοιδορίαν et Prou. Cap. XXV. ὀνειδισμα verterunt, hanc lectionem difficilem reddunt ad iudicandum. Et IVNIUS, licet rei criticae admodum peritus fuerit, tamen nullo modo decisionis quasi fundamentum esse potest: sit, vt firmis, aut e codicibus antiquis et non interpolatis, aut e Commentariis et Scholiis Doctorum veteris ecclesiae graecae ductis argumentis probabilitatem huius lectionis demonstrasset. Quem si suscepisset laborem, maximas ei deberemus gratias. Quibus deficientibus, specie tamen non caret haec GRAEVI coniectura. Liceat itaque ea proferre, quibus, vt hanc sententiam sequamur, impellimur. Primum est, quod literae κ et υ ad illas pertineant, quae saepius in antiquis Codicibus immutatae sunt. Et quid facilius fieri potest, quam vt scriba υ et κ inter se commutet, imprimis si hae literae distincte non sunt expressae, praetereaque duo exstant verba, quae ceteroquin iisdem literis sunt scriptae? Deinde, vocis ἐνσασι significatio, ceteris translationibus vocabuli תַּבַּי magis respondet. Accedit denique, quod haec lectio per Samaritanam confirmetur versioem, quae habet opprobrium terrae. Superuacuum profecto laborem suscipere videremur, si haec argumenta pluribus disponere et quasi distrahere vellemus: prouocamus potius ad ea, quae iam supra a nobis sunt dicta.

Schol. Sequuntur iam leues duae mutationes, quarum

Prior Exstat Num. Cap. XX, 17. vbi post verbum παρελευσόμεθα particulam δὴ hebraico נָדָה respondentem addidit, suspicatus, eam occasione primae syllabae in sequente praepositione διὰ excidisse. Nos non sumus quidem ii, qui illa superstitione imbuti essemus, quae omnes voces ac literas huius τῶν ὁ. translationis, sanctas et manu quasi diuina positas et consecratas putat, vt ne vna quidem addenda aut reicienda sit, si ratio quaedam aut necessitas postulat: dubitamus tamen, an cauti et modesti Critici sit, tam leui causa nouam quandam particulam recipere in textum aut defendere, quae in aliis Codicibus non exstat, sed ex ingenio

orta

orta viderur. Ita vt statuamus, ipsius GRABII nos commouet autoritas, qui rationibus non contemnendis adductus fuit, vt frequentissima Librariorum in describendo vitia silentio transfret, ne nimirum superstitiosa minutiarum obseruatione exteriorem foliorum oram crebrius sine iustis causis deturbaret, lectori sacri textus adeo saepe offendiculum poneret, eique saepius citra necessitatem remoram iniiceret, cf. Proleg. ad Tom. I. Cap. 2. §. 7. Nimis magnus enim esset numerus locorum istorum, quae hoc modo sanitati restituenda essent, si tam leuibus coniecturis translationem τῶν δ. secundum hebraicum emendare vellemus textum.

Posterior, Deuteronomii Cap. XVI, 21. vbi pro ὁ ποιήσεις posuit ὁ ποιήσεις iuxta hebraicum פוֹשֵׁן רָשָׁן quod facies. Satis est lectorem submonere de iis, quae supra de confusione consonantium, vocalium ac diphthongorum, omninoque literarum, quae magnam inter se similitudinem habent, diximus.

§. VII.

Pergimus ad librum Iosuae, in quo Cap. XXII, 19. non μικρά sed μικρά ex hebraeo מִנְיָוּוּ scripsisse interpretes post MASIVM *) primo sacri textus intuitu coniecit GRABIVS, sicque in editione sua expressit. Non necessarium videtur de iusto atque legitimo huius coniecturae pretio multis differere. Iterum occurrunt literae in his verbis, scilicet κ et α, quae facile inter se permutari possunt. Nihil itaque obstat, quo minus credamus, LXX. interpretes hoc loco scripsisse μικρά, Librariorum autem culpa irrepsisse lectionem μικρά, quae tamen hoc loco minus apta est. Simulac enim horum verborum nexum considerauerimus, inuenimus, hoc vocabulum μικρά opponi vocabulo ἄγια, quod e sequentibus dicendi formulis aperte perspicitur, vbi haec terra appellatur ἡ γῆ τῆς καταχέσεως Κυβ, ἢ κατασκηνῶ ἐκεῖ ἢ σκηνῆ Κυβ. Connexio itaque necessario postulat vocabulum μικρά; quae lectio etiam versione Aquilae, quae habet ἀκάθαρτος, et Symmachi, quae legit βεβήλη, confirmatur.

§. VIII.

Iudic. Cap. V, 6. βασιλεῖς mutauit in βάσεις, suggerente, vt inquit, hanc vocem hebraea בְּתִיבִים et suffragantibus verbis sequentibus: ἐπορεύθησαν τριβας, ἐπορεύθησαν ὁδὸς διεστρμμένās. Textum h. l.

*) Eandem coniecturam iam praeter MASIVM protulit LAMB. BOS in Notis, quae editioni suae τῶν LXX. adserpsit.

h. l. corruptum esse, quisque qui codices inter se comparabit, facile concedet. Minus tamen apta haec GRABII coniectura esse videtur, cum hebraicum מַלְאִכִּים non admittat significationem illam, quam graeca vox βῆσις habet. Si quid itaque circa hanc Codicis alex. lectionem (βασιλεύς) mutandum esset, praeferenda omnino esset lectio Cod. vat. c. ὁδός, utpote quae non modo hebraico מַלְאִכִּים melius respondet, sed etiam Symmachi versione ἐπαύθησαν ὁδοὶ confirmatur. Praeterea nullam satis grauem causam inuenire possumus, ob quam ὁ ὁ. qui in fine versiculi hoc ipsum hebr. nomen מַלְאִכִּים exprimunt per ὁδός, in priori hemistichio a propria significatione, quae bonum admittit sensum, recedere debuissent. Si de reliquo quaeris, vnde haec lectio orta sit, respondemus, eam aut ex errore profuisse, aut ex illicita emendandi cupiditate Librariorum, qui forsitan si coniecturam proferre liceat, hunc locum tautologiae vitio ex incitia laborare putarunt.

§. IX.

Restat, ut vltimum Ostateuchi locum, a GRABIO per coniecturam emendatum paucis examinemus. Occurrit Iudic. Cap. XIV, g. vbi σώματι posuit pro σώματι. Omnem dedit operam, ut culpam huius mutationis Librariis tribueret, fatendum etiam est, multam omnino prae se ferre speciem hanc tentatam textus graeci emendationem. Videamus igitur, quibus argumentis eam confirmet, quibusque refutari possit. Prouocat primum ad hebr. textum, vbi vocem מַלְאִכִּים legimus, quae saepissime σῶμα vertitur, quaeque de corpore non modo in vita constituto, sed etiam vitae experte, passim in sacris literis V. T. fumitur. Sed hoc argumentum non adeo magni momenti esse videtur. Satis enim constat, τὸς ὁ. non semper ad verbum transtulisse. Sed si etiam hoc missum facere voluerimus, hoc tamen non possumus silentio praeterire, quod ipse GRABIVS fateri, scilicet hoc hebraicum nomen non semper σῶμα, sed etiam πτώμα verti, vt Pf. CIX, 6. adeo vt eodem iure πτώματι legi possit, quid? quod maiori, cum paulo ante dicatur πτώμα λέοντος. Deinde putat faciliorem lectionem esse praefendam, quod tunc concedimus, si firmissimis iam demonstratum est argumentis, locum esse corruptum deprauatumque Librariorum culpa, sicque emendatione indigere. Tertium denique argumentum maiorem habet vim.

vim. „Placuit *σώματι*, inquit, quoniam aliis quoque in locis *σῶμα*, et *σῶμα* inter se permutata deprehendi.„ Profert exempla Iob. Cap. XX, 25. in editionibus *comptur.* et *ald.* atque Ierem. XX, 28. vbi in MS. Hexaplari codice Regio ex *Theodotionis* versione cum ✕ insertum legitur sequens comma: τὸ σῶμα τὸ ἐξεδεωμένον καὶ ἐκτετραγμένον ὁ ἀνὴρ ἔτος, quod THEODORETUS quoque habet in Commentario, docens per *σῶμα ἐξεδεωμένον* redargui Iechoniae κηφότητα καὶ εὐκολίαν περὶ τὰς παρανομίας λόγους, leuitatem et facilitatem in habendis sermonibus iniquis. Addit GRABIVS: „sed sine „dubio hic quoque *σῶμα* legendum est ex hebraeo *שׂוּמָא* pro quo „*Theodotion* *שׂוּמָא* legisse videtur.„ Habet profecto hoc argumentum multum adfectionis, tamen nondum ad eius sententiam accedimus, quod facilius fieri posset, si vel vnico exemplo docuisset, se hanc istorum verborum permutationem etiam in *alex. Cod.* deprehendisse; aut demonstrasset, vnum antiquum et non interpolatum codicem eam hoc in loco habuisse lectionem. Sed cum hoc de re illi silentium sit, hoc colligimus, omnes inter se conuenire et congruere. Traditis rationibus cur a GRABII sententia abstineamus, iam quae pro nostra afferre possimus argumenta videamus.

§. X.

Nos quidem hanc translationem ex ipso τῶν ὁ ingenio exortam ac natam esse putamus atque defendimus. Qui cum animaduernerent primum, apes in mundis purisque modo locis opus suum facere, non sine ratione existimabant, eas os leonis tanquam purissimam opportunissimamque ad sedem suam partem elegisse, non autem tetrum cadaver. Deinde Simfonem non torum corpus, sed maxillas aut os tantum discerpisse, forsitan putarunt. Accedunt adhuc duo argumenta ex ipso hoc capite ducta. Primum, quia deinde v. 9. idem hebraicum nomen recurrit, et in *Cod. vatic.* iterum per *σῶμα* vertitur, etsi eo loco alia in *Cod. alex.* sit lectio (scil. ἐκ τῆς ἕξως) quae tamen minus apta est. Quidni etiam hanc posteriori *Cod. alex.* lectionem emendandam esse duxit GRABIVS? Sane rectius *שׂוּמָא* verteres *σῶμα* os, quam *ἕξω* habitum. Deinde quia res ipsa loquitur, LXX. interpretes in hac tota narratione sensum alias minus frequentem cum hebraeo *שׂוּמָא* coniunxisse. Nam quod sub initio v. 9. dicitur, *Eduxit illud שׂוּמָא לְאִלֵּי* id est ὁ. secundum

dum lectionem Cod. *alex.* sic efferunt, ἐξῆλθεν αὐτὸ εἰς τὸ σόμμ
αὐτοῦ, quod tamen in Codice *vaticano* rectius exprimitur εἰς χεῖρας
αὐτοῦ. Miramur, nec hoc in loco GRABIVM offendisse vocem il-
lam τὸ σόμμ. Quae cum ita sint, et quoniam haud multum hoc in
lôco refert, vtro legatur modo, hic vulgatam lectionem intactam
relinquere placuit.

CAP. II.

EXAMEN QVORVNDAM LOCORVM E LIBRIS
HISTORICIS.

§. I.

Progredimur iam ad secundum huius τῶν ὁ. editionis tomum,
vbi paucae tantum exstant vel coniecturae, vel emendationes Cl.
GRABII, quas in Prolegomenis ad Tom. II. editionis *grabianae* re-
censuit eruditissimus FRANCISCVS LEE. Prima haec est, quae
I Reg. I, 9. occurrit, vbi Codex MS. *alexand.* habuit ἐμάθετο docebat,
pro quo vocabulo GRABIVS posuit ἐκάθητο sedebat. Vt hanc suam
mutationem argumento quodam muniret, prouocauit ad editiones,
compl. et *ald.* cum authentico textu hebraico collatas. Cui quidem
argumento multum tribueremus, nisi illas editiones de mutatio-
nibus, non dicam, e latina versione, sed e recentioribus codicibus
suspectas haberemus, quia editores eo laborasse dicuntur, vt trans-
latio τῶν ὁ. responderet ipsi textui hebraico. Videri equidem posset,
aliud quoddam argumentum desumendum esse a similitudine quae
est inter figuram literarum κ et μ: si autem harum literarum for-
mam, qualem GRABIVS in Proleg. Tom. I. Cap. I. §. 6. ob oculos
posuit, contemplamur, leuem similitudinis speciem adeoque haud
fatis speciosam permutationis rationem inuenire possumus. Et si
quoque hoc argumentum concesserimus, tamen nondum videmus,
quomodo sola mutatione literarum κ et μ ex ἐκάθητο fieri potue-
rit ἐμάθετο? Quibus de causis discedimus ab eius sententia.

§. II.

Rectius igitur FRANCISCVM LEE in Proleg. iudicasse puta-
mus, qui hanc lectionem non tanquam Codicis *alex.* vitium, sed
tan-

tanquam ipsam genuinam interpretum defendit. Videamus quibus argumentis hanc suam sententiam confirmet. 1) *Sedere* dicit, esse proprium docentis positum. Sella, pergit, seu cathedra professoris siue doctoris nec non pontificis etiam aut cuiusvis episcopi habetur praerogatiua. Ex his ducit illas loquendi formulas, quibus dicitur: sedes alexandrina, antiochena, romana, cantuariensis cet. Nihil forsitan hoc argumentum demonstraret, si illud extra connexionem cum ceteris considerare vellemus. Addimus igitur 2) Docentis munus huic ipsi quam maxime conuenire; idque α) qua sacerdos, β) qua sacerdos summus, γ) qua populi sui iudex et princeps, legisque interpres et custos erat. Nemo profecto, nisi is qui reipublicae Iudaeorum administrationis imperitus, quique in eorum consuetudinum cognitione peregrinus ac hospes est, de eo dubitabit. Prouocat 3) ad Hebraeorum mores; 4) ad formulam loquendi עליון כבודו של מורי, quam huc spectare, pontificisque muneri optime congruere putat: simulque docet, verbum שׁב, quod hic vsurpatur, licet in editione romana iuxta vaticanum exemplar, eius interpretatio non inueniatur, haud absque ratione poni; „nam, „inquit, ישיבה apud Rabinos est schola publica siue Academia, „rectorque Academiae ab eis vocatur inde ראש הישיבה caput scholae s. princeps confessus atque doctor summus. „ Quod ad hanc verbi שׁב omissionem attinet, non eam quidem approbamus, cum in textu hebraeo diserte extet participium ישׁב, inde tamen apparet, ex ipso contextu suppleri posse et debere verbum quod desideratur. Ad contextum itaque si attendimus, satis apertum est, aliud verbum h. l. non posse suppleri quam ἐκάθιστο. Ita enim iubent (praeter textum hebr.) ipsa verba quae in textu graeco extant ἐπι τοῦ διδραχμῶν, *super sella*. Quae quaeso ellypsis h. l. prouocat et facilius in intellectu est, quam ista a GRABIO expressa per ἐκάθιστο? Nosstram si expromere liceat sententiam, vix dubitamus, quin interpretatio vocis שׁב ideo a Librario omissa sit, quia lectionem ἐκάθιστο in quibusdam fortassis codicibus eo tempore obuiam cum hebraico שׁב conciliare non potuerit. Interpretes autem, qui munus atque negotium sedentis iudicare atque exprimere volebant, aliud sane vocabulum quam nostrum ἐκάθιστο adhibere non poterant. Sed recedimus iam ad FR. LEE argumenta, quorum vltimum ex conuenien-

uenientia loci ipsius, in quo sedebat sc. מִן הַיַּרְדֵּן cum huiusmodi interpretatione deduxit, quod ea quae diximus, confirmat. Nam hic doctor, non solum in tabernaculo sedebat, sed in atrio eius exteriori, siue in porticu, vbi populum legem docere mos solennis erat. Haec sunt FRANC. LEE argumenta, quibus coniecturam CL. GRABII oppugnat. Fatemur, non omnia esse tanti momenti, vt vnum alterumque solum efficere posset, hanc aberrationem a textu hebraeo tribuendam esse interpretibus aut Librariis. Quis enim certo demonstrare potest τὰς δ. in vertendo textu hebraeo sic cogitasse, eaque quae adhibuit, argumenta adhibuisse. Si autem omnia coniungimus, sententiam eius omnino confirmare videntur: quae eo etiam comprobatur, quod vox צַדִּיק multis in locis librorum diuinorum iis tribuatur hominibus, qui in folio sedere dicuntur, quando funguntur officio regis vel iudicis alicuius Exod. XI, 5. Cap. XLIX, 13. Deut. XVII, 18. Ies. XIV, 13. Ier. XXII, 30. Cap. XXXIII, 16. Quae omnia officii Doctorum veteris ecclesiae fuisse, quis est qui nesciat?

§. III.

Ibidem versu 14. scribitur τὸ παιδάριον Ἠλῆι, in textu vero hebraico non exstat de hoc eius seruo s. seruulo quicquam. Fauemus eorum sententiae, qui illud παιδάριον tanquam ex proprio τῶν δ. cerebro additum, ne conuicti illius pontificem Eli reum facerent, existimauerunt. Non videmus enim, si dicendum quod res est, quomodo id quod in his verbis v. 14. contumeliosum dici potest, aliter mitigari potuerit, quam addendo vocem παιδάριον. Et si τῶν δ. consuetudinem atque institutum reputamus, si hunc locum cum aliis librorum diuinorum locis, in quibus voces occurrunt, quae nostra aetate contumeliosae nominari possent, comparamus, si denique perpendimus, quanta diligentia in eo elaborarint, vt illas inoffensas redderent, hanc lectionem omnino non improbandam esse iudicamus. Quod eo magis apparebit, si haec, quae diximus, cum isto argumento, quo FRANC. LEE vsus est, coniungimus. „Nam, ait, „licet in hebraico non exstet, subintelligendum esse consuetudo „suadet, ratio persuadet. „ Quae est illa consuetudo? Respondet: „nihil magis apud omnes est tam familiare, quam illud domino tribuere, quod ab eius subdiro famuloque dictum factumque fuit. „

Huius

Huius locutionis apud profanos scriptores innumera exempla reperiri putat. Hoc non negamus quidem, malumus tamen ad illam τῶν ὁ. consuetudinem prouocare, qua incautas atque libris diuinis indignas loquendi formulas emendare voluerunt. Rationem autem, quae in promptu est, his verbis explicat: „veri maiorem saltem habet similitudinem, vt ipsius puer, quam vt ipse pontifex magnus, sedens in porta, vt iudex et doctor supremus, mulierculam obiurgaret.„ Accedit, quod hoc additamentum legatur apud CHRYSOSTOMVM Hom. 15. in Act. Apost. et apud PHILONEM in libro περὶ μέθης. Si quis autem religioni duxerit hanc aberrationem a textu hebraeo τοῖς ὁ. tribuere, tanquam Glossema, quod in textum irrepsit, considerari poterit. Huius generis glossemata se offerunt etiam v. 18. huius capituli, vbi non modo tota ista propositio καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὸ κατάλυμα αὐτῆς, sed etiam ea, quae paucis interiectis post Ἐφαγε sequuntur, μετὰ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς, καὶ ἔπιε, a textu hebr. absunt et e margine sine dubio per incautos Librarios in textum illata sunt. Vocem αὐτῆς post κατάλυμα perperam insertam esse iam monuit Cl. LEE l. c.

§. IV.

Secundo regum libro Cap. I, 18. Codex MS. alexandrinus Διδάξαι τὰς υἱὰς Ἰσραὴλ τόξον habet, sed in editione romana desideratur τόξον legiturque Ἰδα pro Ἰσραὴλ. FRANC. LEE longam hae de re disputationem instituit. Memoratu dignissima cum breui indicatione excerptere luber. Primum obseruauit, reliquos Codices MSS. et impressos loco Ἰσραὴλ habere quidem Ἰδα, iuxta textum illum, quem Masorethae nobis tradiderunt, solum vero Cod. alex. Ἰσραὴλ retinere. Et haec quidem est causa, cur Cl. GRABIVS communem in sua editione exhibuit lectionem, alteram autem quae singularis est ad marginem relegauit. Bene iudicat Cl. LEE, eam non prorsus hinc reiiciendam esse, quia singularis videatur, quasi vel interpretis vel Librarii mendam indubitato hoc sit. Variis argumentis, vt nos in suam adduceret sententiam elaborauit. Necessarium itaque est, vt eorum examen paucis instituamus. „Primum, nihil, ait, certius esse potest, quam quod Saul Israelis totius, non Iudae solus rex fuerit: nihilque incertius, quam quod

„praeceptum hoc regium Iudam tantummodo respexerit.“ Quod ita se habere quis negabit? nam si prius concedimus (et id, concedere debemus) ineptius esset, posterius negare. Hoc enim praeceptum eius generis erat, ut id ad omnes pertinuisse, ex eius natura colligere possimus. „Deinde addit: paulo etiam post non filiae Iuda, sed filiae Israel super regem suum in bello occisum plorare iubentur. Atque hoc veritati sane magis consentaneum videtur, ut hymnos militares, aut cantilenas eiusmodi historicas, in perpetuam rei memoriam uniuerso populo sibi subdito; quam ut alii, cui eiusdem parti tantum, vnique ex duodecim et de qua ortus, etiam ipse non erat, qui plangendus fuit, tribui scilicet Iuda, elegias istiusmodi discendas rex traderet.“ At, quaeres, vnde haec lectio orta sit? Respondet FRANC. LEE: „aut ex poetica licentia in threnodia hac pereleganti pars ponitur pro toto, Iuda pro Israel: aut Librarius Iudaeus, ob nominis eiusdem repetitionem vnum pro altero festinans substituit.“ Qua quidem in disputatione nihil adfectionis inuenire possumus: Sed si quis eam tum ob textum hebraeum, tum ob reliquorum codicum et interpretum auctoritatem non admittere vellet, tutiorem forsitan viam eligeret, si Aquilae interpretationem sequeretur, quae haec est, τοῦ διδάξαι τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ καὶ Ἰούδα. Hinc enim colligitur, lectionem vtramque (scil. Ἰούδα et Ἰσραὴλ) in Libris veteribus existisse. Simul autem inde concludimus, nos eodem iure, quo alii Ἰάδα legant, Ἰσραὴλ legere posse. Nouum et grauissimum argumentum pro lectione Ἰσραὴλ ducit FRANC. LEE ex verbis sequentibus ἐθήλωσον Ἰσραὴλ, v. 19. Demonstrat, ἐθήλω manifeste deriuatum esse a θήλη, quae vox plerumque accipitur pro cirro seu columna, qualis in sepulchris statuebatur ac in qua res gestae posteritati mandabantur (hinc phrasin ἐθήλην ἀναγράψαι ortam esse putat.) Hunc igitur his verbis subiicit sensum: erige, o Israel columnam, s. stelam sepulchralem; eum autem ex Cap. XVIII, 17. confirmat, vbi ἐθήλωσεν ἐπ' αὐτὸν σωρὸν λίθων μέγαν eodem plane sensu scriptum putat. Columnas autem lapideas in locis excelsis plerumque, si non semper erectas esse obseruat, vnde etiam textus alex. habet ἐθήλωσον ἐπὶ τῷ ὕψι σου, h. e. columnam super excelsa tua erige. Accedit, quod statuae et monumenta inprimis illis in locis ponerentur, in quibus

res

res memoria dignae factae erant. Saulem autem in monte Gelboë occisum legimus. Hoc vero etsi concedimus, tamen haeret adhuc dubitatio de interpretatione vocis hebraica הַצִּיבִי . Quam cum \acute{o} . vertant $\sigma\eta\lambda\omega\sigma\sigma\omicron\nu$, dubium non est, quin aliam secuti sint lectionem. Et si Cl. LEE audiamus legerunt הַצִּיבִי . Aliquam omnino speciem prae se fert haec coniectura, in qua exornanda satis prolixus fuit Vir Eruditissimus. A partibus eius stant quoque fere omnes interpretes graeci, quantum quidem ex fragmentis illis, quae ad nostra vsque tempora venerunt colligere possumus. Omnes enim vocem הַצִּיבִי non pro nomine habuerunt, sed verbum, quoddam esse putarunt. Hinc nonnulli eam per $\acute{\alpha}\nu\eta\beta\alpha\sigma\sigma\omicron\nu$, alii per $\acute{\alpha}\nu\eta\beta\alpha\sigma\sigma\eta$ exprimendam esse existimarunt, quam posteriorem interpretationem exhibet THEODORETUS Quaest. V. in secundum Librum regum. At vero hae omnes interpretum graecorum versiones nimis recedunt a veritate hebraica. Concedendum quidem est, tam leues literarum mutationes satis esse frequentes, qualem Cl. LEE supponit, dum ex הַצִּיבִי transpositis duabus posterioribus literis הַצִּיבִי factum esse putat. Sed quorsum haec? Si lectio recepta textus hebr. הַצִּיבִי sanum non daret sensum, tunc non sine multa specie haec dicta essent. Cum autem egregium det sensum, si vocem istam הַצִּיבִי in significatione vstrata *ornamentum* s. *decus* retineamus, eamque ad regem Saulem in proelio occisum referamus, temerarium esset interpretationem admittere, quae corruptum textum proderet. Sequitur iam huius columnae inscriptio, quae est $\text{\u0399}\pi\epsilon\grave{\rho}\ \tau\epsilon\delta\nu\eta\kappa\omicron\tau\omega\nu$ seu de ibi occisis. Recte iudicat Cl. LEE, haec omnia bene convenire, nec in se difficultatis aliquid habere, iustaque textum romanum confusionis et perturbationis accusat, utpote qui cum codicibus hebraicis nullo modo conciliari possit. Perturbat enim ordinem, cum ea, quae in textu hebraeo immediate sequuntur post Israel עַל\ בְּמִוֶתֶק eo ipso ordine, quo Alexandrinus $\text{\u03b5}\pi\iota\ \tau\acute{\alpha}\ \text{\u0399}\psi\eta\ \sigma\omicron\nu$ exhibet, ad sequentia verba perperam transtulerit. Perturbat omnem sensum, efficitque, ut textus vagus, nullaque ex parte determinatus sit. Multa adhuc memoriae prodenda hoc in loco diiudicando a Cl. LEE sunt dicta, quae ne longiores simus, relinquimus. Modestus quisque Criticus, qui non auctoritate romani codicis quasi occupatus est, *alexandrinum romano* ratione ordinis

et

et conuenientiae totius orationis cum textu hebraeo, hoc loco longe multumque praestare fatebitur.

§. V.

Haec sunt quae de correctionibus GRABII in libris historicis disputanda iudicauimus. Multa quidem Cl. LEE in sequentibus attulit loca, e quibus probatur, Codicem *alex.* si cum *vaticano* comparatur, lectiones habere, tum pleniores, tum veritati hebraicae magis accommodatas. Haec tamen omnia iam intacta esse relinquenda putauimus, cum animus nobis non sit, in hac dissertatione praestantiam Codicis *alexandrini* prae *vaticano* multis comprobare, quam iam alii satis adstruxerunt, inter quos praeter MILLIUM, WALTONVM aliosque est Celeberrimi Praesidis b. PARENS, cuius olim prodiit Diss. de antiquitate Codicis *alexandrini*. Vt vnum modo exemplum proferamus, insignis est locus 3 Reg. Cap. I, 9 vbi bene in Cod. *alex.* vox יַשׁ, quae in Cod. *vatic.* omittitur, expressa est per τῆς πηγῆς. Ita quoque *Symmachus* et *Syrus* idem nomen interpretati sunt, teste THEODORETO in Commentario ad h. l. Versionem Codicis *vaticani* h. l. sensu omni carere, recte monuit Cl. LEE.

CAP. III.

EXAMEN CONIECTVRARVM A GRABIO TEXTV
TVI LIBRORVM PROPHETICORVM
INSERTARVM.

§. I.

Sequitur nunc, quoniam omnes diiudicare coniecturas constitui-
mus, vt in eas inquiramus, quae in tertio tomo occurrunt. Prima *)
pertinet ad Malach. II, 16. vbi GRABIVS *Capellum* secutus, ex he-
braeo יְהוֹשֻׁעַ עֲבֹדָתָא reposuit. Quae quidem lectio, quan-
quam autoritate eorum codicum qui iam exstant, non confirmetur,
tamen magnam probabilitatem habet. Nihil addimus ad primum,
quod GRABIVS protulit argumentum, scilicet quod cum hebraico
textu

*) Obseruandum est in versione graeca Prophetas XII. quos minores dicimus, praemitti maioribus, sc. Iesaiæ, Ierem. cet.

textu melius conueniat, quam recepta lectio ἐνδυμήματα. Alterum autem, quod ad Interpretum orientalium consensum spectat, maioris momenti et nostra inquisitione dignissimum videtur. Proferamus itaque horum Interpretum versiones prout in Bibliorum Polyglott. Tom. III. leguntur. Hebr. **כִּסֵּה הַמָּט עַל-לְבוּשׁוֹ** Chaldaeus ita exprimit: *et ne operias peccatum vestimento tuo.* Syrus sic: *et iniquitatem pallio suo ne tegat.* Arabs hunc in modum: *et operiet impietas vestimenta tua.* Quibus expositis quisquis, eos omnes pro lectione ἐνδυμήματα pugnare, intelliget: quanquam de reliquo non dissitendum sit, has omnes interpretationes a textus hebraici veritate nimis remotas videri. Verborum enim structura, et huius loci contextus, vix aliam, quam hanc admittunt interpretationem: *et tegit* sc. quisquis uxorem iuuentutis suae dimiserit, *violencia* s. iniuria *vestem suam* s. semetipsum. Huic interpretationi parum fauet recepta lectio ἐνδυμήματα, quam Glossemari originem suam debere putamus.

§. II.

Cap. III, 9. *) τὸ ἔτος συνετελέσθη legitur in Editione rom. Nobis non verisimile videtur, hanc translationem a LXX. interpretibus ortam esse, cum plane aberrer ab hebr. codice, ubi diserte verba **בְּלִי גֵנִי** *gens tota* exstant, quae si cum ceteris coniungimus, bonum exhibent sensum. Si contra Edit. rom. lectionem sequi vellemus, nesciremus, vnde essent haec verba, quidque indicare deberent. Optimo iure itaque eam a GRABIO reiectam esse videmus, qui ἔθνος in textu posuit, ἔτος autem in margine. Syrus iam hanc sententiam defendit, qui verba ista **בְּלִי גֵנִי** exprimit per *uniuersi populi*. Sic quoque Chaldaeus verba ista interpretatus est. Nihil de cetero refert, quod Arabs interpres, HIERONYMI versionem, quae habet, *annus impletus est*, sequatur. Eius enim temporibus iam menda Librariorum exstiterit, perspicuum est et oculis quasi iudicari potest.

Schol. Ad coniecturas etiam in Proleg. refertur, quod GRABIVS Esaiæ VII, 15. negatiuum μή pro ἢ inseruerit, ante *προελέσθαι πονηρά*; sed in editione

*) In Cod. vatic. verba ista τὸ ἔτος συνετελέσθη initium v. 10. faciunt; in Cod. autem alex. rectius ad finem v. 9. relata sunt.

IA ne ipsa nec $\mu\eta$, nec η inuenimus, vnde colligi potest, eum, qui post GRABII mortem voluminis huius edendi curam in se suscepit mentem illius non affectum esse. Verba Textus hebr. ערע טאוס confirmant hanc lectionem, inprimis cum facile fieri potuerit, vt Librarii literam μ in describendo negligenter.

§. III.

Iesaiæ Cap. XXX, IO. $\lambda\acute{\alpha}\lambda\iota\alpha$ exhibent duo Reg. Codd. cuius loco vocem $\delta\acute{\epsilon}\lambda\iota\alpha$ sub signo isto X ex coniectura substituit GRABIVS. Multa h. l. occurrunt a textu hebraico aliena, quae tamen breuitatis causa non omnia attingimus. Duo tantum commemorabimus, quae ad scopum nostrum proprius pertinent. Deest in plurimis codicibus versio graecae non modo vocis $\eta\eta\eta\eta$ sed etiam in priori hemistichio vocis $\eta\eta\eta\eta$ interpretatio: quam posteriore corruptionem GRABIVS sic emendauit, vt vocem $\sigma\epsilon\theta\omega\varsigma$ cum eodem signo X apposuerit. Prioris autem mutationis rationem his verbis expressit: „vox $\lambda\acute{\alpha}\lambda\iota\alpha$ mendosa videbatur, ac procul dubio legendum $\delta\acute{\epsilon}\lambda\iota\alpha$, quomodo Hebraicum $\eta\eta\eta\eta$ ab ipsis LXX. Pf. XI, 3. 4. *) versum est. Recte quidem obseruauit, $\tau\acute{\alpha}\varsigma\ \acute{\epsilon}$. vocem $\eta\eta\eta\eta$ l. c. ita transtulisse, sed ex his non colligi potest, eandem h. l. voci isti competere significationem. Illo enim in loco contextus hanc translationem admittit; sed h. l. aliter se habet: Israelitae non dolosa sed iucunda indicia, blandosque sermones expectant. Longe melior et vsitator itaque vocis hebraicae versio nobis videtur, quam dedit Symmachus, qui pro $\lambda\acute{\alpha}\lambda\iota\alpha$ habet $\lambda\acute{\epsilon}\iota\alpha$, sicuti hunc versum apud Procopium legimus. Sic quoque Chaldaeus verba ista exprimit, loquimini nobis complacentia.

§. IV.

In versu sequente II. huius capituli $\tau\acute{\omicron}\ \lambda\acute{\omicron}\gamma\iota\omicron\nu$ mutauit in $\tau\acute{\omicron}\nu\ \acute{\alpha}\gamma\iota\omicron\nu$. Nemo hanc mutationem optime cum hebraeo textu, qui habet $\psi\eta\eta\eta$ conuenire negabit: de hoc autem iam non quaerimus, sed id cupimus scire, quomodo LXX. transtulerint. Et hoc quidem respectu rationes habemus satis graues, cur GRABII sententiam correctionemque repudiemus, atque HIERONYMI, qui testatur, LXX.

70

*) Hic Psalmus qui in codice hebraeo est duodecimus, in graeca versione est vndecimus, quae diuersitas inde orta est, quia Psalmus nonus et decimus in textu $\tau\acute{\omega}\nu\ \acute{\epsilon}$. in vnum coalescerunt.

τὸ λόγιον habuisse, auctoritatem interponamus. Vix necessarium videtur, iterum commemorare, eiusmodi translationes a consuetudine τῶν ὁ. non abhorruisse. Grauiissimum argumentum inde ducimus, quia vox λόγιον admodum bonum admittit sensum, qui non modo ad vocem שָׁרָף in connexionem exprimendam aptus, sed etiam ad illam illustrandam accommodatus est. Τὸ λόγιον enim nihil aliud est, nisi oraculum aut responsum diuinum, quam significationem *Aristophanes*, *Herodotus*, alique bonae notae Scriptores graeci, huic voci subiiciunt. Iam si N. T. loca, vbi haec vox occurrit, euoluimus, patet, christianos scriptores eandem vocem ad diuinos libros adhibuisse, eaque modo scripturas sacras V. T. Rom. III, 2. modo dogmata in iis contenta Hebr. V, 12. 1 Petr. IV, 11. modo legem a Deo Mosi datam Actor. VII, 38. insignire consueuisse. Quos significatus, si nunc coniungere, et ad nostrum locum transferre voluerimus, praeclarum habebimus sensum, a quo haud multum absuit *Arabs*, qui in versione sua haec ita exprimit: *auserte a nobis vocabulum Israelis.*

§. V.

Felicior videtur GRABIVS in correctione v. 16. vbi pro ἀναβάταις ex coniectura ἀναβάται posuit. Varias huius loci lectiones iam declarant, lectionem receptam minus aptam esse. Alii enim habent communem lectionem ἀναβάταις ἐσόμεθα, alii ἀναβησόμεθα, et est etiam vbi legitur, Φευξόμεθα. Non sine ratione igitur GRABIVS nouam periclitatus est coniecturam. Pugnat quidem contra hanc emendationem et *varic.* et *alex.* Codex, pugnat etiam HIERONYMI versio, quae habet *super leuibus ascensoribus*, sed ex his omnibus nihil amplius colligere possumus, quam satis antiquam esse lectionem istam ἀναβάταις, quam tamen sola verustate sua se non rueri posse putamus. Variis argumentis nostrae sententiae probabilitatem euincere possumus. Prouocamus primum ad sensum, connexionem, et seriem verborum, quae hanc emendationem omnino postulant. Quid enim, nisi Hebraismum admittere voluerimus, sibi vult illud, *super leuibus ascensoribus erimus*? Nonne apertior et prior est sensus, si ἀναβάταις legimus? Et hunc quidem sensum illi expresserunt editores, qui vel lectionem ἀναβησόμεθα vel Φευ-

ἔμεθα in textum receperunt. Nec alia est interpretatio, quam *Chaldaeus, Syrus et Arabs* dederunt.

§. VI.

Cap. XXXII, 1. occurrunt haec verba: βασιλεὺς δικαίος βασιλεύσει, quae non omnino cum hebraeo textu congruunt, qui habet דַּיָּק. Non sine ratione igitur GRABIVS δικαίος mutavit in δικαίως. Multa ad hanc lectionem defendendam proferre possemus, quae, ne longiores simus, breviter attingere volumus. Pugnat pro hac emendatione iam saepius commemorata permutatio literarum, inprimis O et Ω, quam Librariorum culpa saepius factam ex aliis locis cognouimus. *) Pugnat pro eadem Syrus, qui hebr. textum securus est. Simili ratione *Chaldaeus* haec exponit, qui דַּיָּק vertit נִוְשָׁרָה in *veritate*. Pugnat denique pro eadem, vox ΔΕΨΩ, quam in sequente hemistichio μετὰ κησσεως (reliqui vero vt *Eusebius* testatur, εἰς κημω) vertunt. Hoc autem permutationis vitium satis antiquum esse, apparet ex versione HIERONYMI, quae habet *rex iustus*.

§. VII.

In eodem capite v. 4. pro τῆ ἀκείν posuit τῆ νοεῖν, sicque hoc in textu legitur, illud autem in margine. Adprobamus hanc emendationem, quia non modo GRABIVS argumenta magni momenti produxit, sed quoniam nos quoque originem huius emendationis explicare possumus. Videamus igitur, quae sint argumenta, quibus suam probare sententiam putavit. Primum duxit ex MS. *Regio* in 4to, vbi τῆ νοεῖν legitur. Alterum est, quod τῆ νοεῖν melius congruat cum Hebr. דַּעֲרָה. Ita esse nemo negabit. Sic quoque *Chaldaeus* et *Syrus* vocem דַּעֲרָה interpretati sunt per *scientiam*. His argumentis addi poterit, quod lectio a GRABIO emendata reliquis verbis huius hemistichii et inprimis voci καρδία magis respondeat. Ne autem dubitatio quaedam superfit, vnde oriri poterit haec permutatio, cum voces ἀκείν et νοεῖν parum habeant similitudinis, id vnum adhuc subiicimus, e praecedentibus originem lectionis ἀκείν peti posse. Cum enim eadem vox in fine v. 3. prae-

*) Conf. Proleg. ad h. Tom. Cap. II. quod inscribitur: in Prophetis Sphalmata Codicis alex.

praecefferit, ea vel Librario ob oculos versata est, vel in mentem recurrit, ita vt pro *νοῆν* scriberet *ἀρχεν*.

§. VIII.

Audax profecto est sequens GRABII coniectura v. 6. cum sine vlla autoritate aut Cod. aut MS. *νοῆσαι*, quod, vt ipse faretur tam in editis, quam MSS. libris est, mutauerit in *ποιῆσαι*. Concedendum quidem est, lectionem a GRABIO propositam satis bene respondere textui hebraico, cum tamen ab aliis omnibus destituatur praesidiis, tantum apud nos non valet hoc argumentum, vt consuetam lectionem h. l. deferendam esse putaremus. Vt enim saepius, ita hoc quoque loco, ab hebraica veritate recesserunt cō LXX. quia putarunt, vocem *νοῆσαι* ad praecedentia verba *ἡ καρδία αὐτοῦ παταία* melius quadrare quam *ποιῆσαι*. Praeterea literae initiales viriusque vocis haud adeo similes sunt, vt earum permutationem satis probabilem putaremus.

§. IX.

Sequens emendatio v. 13. vbi verba *ἡ γῆ—ἀκανθα—ἀνεβήσεται* occurrunt, probabilior videtur et argumentis nixa consistit. Huic loco, quem GRABIVS certissime vitiatum iudicauit, medellam attulit, pro *ἡ γῆ* substituendo *ἐπὶ γῆν*. Multa etiam sunt, quae confirmant eius sententiam. Nam HIERONYMVS simili ratione verit̄ *super terram*, ab his interpretibus, vt videtur, petita explicatione. Praeterea si *ἐπὶ* literis vncialibus scribimus, apparet, facile fieri potuisse, vt litera prima ob similitudinem cum vltima praecedentis vocis *γενήματος* excideret. Accedit, quod MS. *Reg.* in 4to *ἐν τῇ γῆ* habeat, quodque *Symmachus*, qui *ἐπὶ τὴν γῆν* legit, huic lectioni faueat. His denique addimus, quod series verborum hanc requirat mutationem, quae alias omni careret sensu, quodque haec praepositio multis in locis mutata sit. cf. *Ierem. XIX, 6.* vbi cum *ἐπὶ* permutata est.

§. X.

Qui proximus est locus, *Ies. XLIV, 13.* multum habet difficultatis. Si enim *hebr.* Textum aliosque libros cum eo comparamus, inuenimus duo ommissa esse commata. Cuius corruptionis culpam GRABIVS Librariis tribuit, qui quoniam *ἐποίησεν* deinde recurrit, adducti sunt, vt duo commata, quae interposita erant, negligerent.

Probabilis omnino est haec GRABII coniectura, imprimis cum adhuc nostra aetate translationem horum verborum in quibusdam inueniamus libris. Sic iuxta MS. Ies. Reg. Laud. Coli. Nou. textus hoc ordine procedit: χ . καὶ ἐμέθρωσεν αὐτό, ἐν παραγραφίδι, ἐποίησεν αὐτό, ἐν περιγωνίσκοις καὶ ἐν κόλλῃ ἐξέφθμισεν αὐτό, καὶ ἐποίησεν αὐτό ὡς μορφὴν ἀνδρός. Apud Procopium autem sub asteriscis leguntur, cum hac mutatione, quod pro περιγωνίσκοις habeat περιγωνίσις. Cum igitur claris argumentis confet, hanc deprauationem Librarii cuiusdam vitio ortam esse, GRABIVM eam ob rem, quod verba ita posuerit, vt hebraeo textui respondeant, reprehendere non possumus. *) In pluribus MSS. apud Cyrillum aliosque haec verba non exstare haud mirabimur, si cogitemus, hanc corruptionem sine dubio factis antiquam esse.

Schol. Sequens locus non tam coniecturam, quam annotationem potius exhibet, scilicet Cap. LVII, 18. παθηνοῖς in Apographo grabiano legi, quamuis ποθηνοῖς (fortasse pro ποθητοῖς) sit in MS. Reg. in Fol. vnde defuncta fuit haec clausula, quae in reliquis libris tam editis, quam MSS. deest, nec in CYRILLO vel THEODORETO reperitur. Recte observatur, hac voce παθηνοῖς vel ποθηνοῖς exprimi hebr. נָחַשׁ, quae vox plerumque per πενθῆν et πενθῆντες redditur, quod hic quoque sensus postulat. Et sic etiam THEODORETUS, etsi verba vltima textus omittat, eorum tamen sensum in Commentario suo ad h. l. sic exprimit: αὐτοὺς λυχαγωγίαις ἤξιώσα καὶ τοὺς πενθῶντας αὐτοὺς ἐπέπθουν δε αὐτοὺς τῆς ἀληθείας οἱ κήρυκες.

§. XI.

Ier. XVII, 26. pro Μάννα, vti habent Cod. vatic. et alex. GRABIVS Manaa in Textu posuit. Quoniam LXX. interpretes in omnibus fere, vbi Hebr. מַנְנָה occurrit, locis, e. c. Ezech. XLV, 25 et XLVI, 7 et 14. illud per τὸ μανναὶ vertunt, non dubitandum est, vocem istam hoc etiam in loco sic ab illis expressam esse, vnde facile culpa Librarii, α in ν mutato, effingi potuit vox Μάννα. Hanc autem po-

sterio-

*) Sic iam exstat hic versus 13. ἐλεξάμενος τέκτων ξύλον ἔστησεν αὐτό ἐν μέτρῳ, καὶ ἐν κόλλῃ ἐξέφθμισεν αὐτό ἐποίησεν αὐτό χ . ἐν παραγραφίδι, καὶ ἐμέθρωσεν αὐτὸν ἐν περιγραφίδι, καὶ ἐποίησεν αὐτό ὡς μορφὴν ἀνδρός, καὶ ὡς ἀραιότητα ἀνθρώπου, ἔστησεν αὐτό ἐν οἴκῳ.

steriorem minus aptam esse, patet e contextu, qui de variis sacrificiorum generibus loquitur, adeoque postulat, vt **מנחה** de oblationibus explicetur.

Schol. Cap. XXXII, 30. occurrit vox *οἶδε*, quam Latinus interpres in Bibl. Poli *illi* vertit. Quae interpretatio GRABIO displicuit, reiecit itaque eam, ac docuit, vocem istam *Οἶδε* initiali maiuscula scribendam esse ex *Hebr.* **וַיֵּרָא** quod in *Complut.* *Αἶδεδ* exprimitur; quod est teste *HEKONXMO Celusma* vindemientium Moabitarum et clamantium inuicem *οἶδε, οἶδε.* Approbamus hanc correctionem, cum satis notum sit, verba textus olim continuo literarum nexu, aequalibus literis scripta fuisse. Habemus de hoc praeclarum testimonium *HESECHII Hierosolymitani* (quem Sec. VI. aerae christianae florisse putant *Critici*) qui, cum de diuisione per *εἰς* loquitur, haec adhibet verba: „Libros Prophetarum maioris perspicuitatis causa per versuum cola diuidere, vetus inuentum est S. Patrum. Nam initio *sine ulla distinctione* legebantur.”

§. XII.

Nihil difficultatis habet vltima, quae in hoc Tomo occurrit coniectura, pertinet ad Dan. XI, 37. vbi GRABIVS ex coniectura *ἐπι* ante *ἐπιθυμιαν* inseruit. Recte iudicauit, hebraicum **על** hanc praepositionem requirere. Nullam enim rationem inuenire possumus, cur *א* *ע*, qui vocem **על** quater in hoc versiculo occurrentem, ter per *ἐπι* vertunt, eam ante *ἐπιθυμιαν* non interpretati sint. Ex altera vero parte vix dubitandum est, quin ob similitudinem literarum initialium sequentis vocis *ἐπιθυμιαν*, Praepositio *ἐπι* culpa Librarii exciderit. Restat, vt coniecturarum et emendationum, quae in vltimo Tomo occurrunt, examen instituamus.

CAP. IV.

EXAMEN LOCORVM TOMO QVARTO A GRABIO
PER CONIECTVRAS EMENDATORVM.

§. I.

Magnus omnino est horum locorum numerus, sed operam dabimus, vt quae dicenda sunt, quantum fieri potuerit, paucis complectamur. Primus, qui occurrit locus exstat Pf. IV, 8.*) vbi GRABIVS vocem *καὶ* loco *καρπῶ* substituit. Satis diu dubitauimus,

*) In nonnullis Editionibus est vers. 7.

mus, sitne recepta aut *grabiana* lectio praeferenda? Instituto autem accuratori examine, *grabianam* deferendam esse putauimus. Quod ne temere statuisse videamur, recensebimus primo argumenta, quae pro GRABIO pugnant, nostra deinde subiungemus. Fatendum est, lectionem ἀπὸ καιρῶν hebraico כַּמֶּן satis aptam esse, eamque auctoritate Chaldaei ac Syri, ne de latina apud AVGVSTINVM versione quiequam dicamus, confirmari. Immo, si ORIGENI fidem dare voluerimus, hanc ipsam lectionem olim habuit antiquissima τῶν ὁ. interpretatio. Haec enim sunt verba ORIGENIS apud MONTFAUC. in Hexaplis ad h. l. „In Hebraeo, a tempore habetur. Sic quoque „Septuaginta posuere, vt totius dictionis sententia sit: In tempore, quo frumenti, hordei et leguminum omnium messis est, multiplicati sunt. „ Multum sane valeret hoc ORIGENIS testimonium, si vel vnus satis antiqui Codicis auctoritate muniretur. Si enim genuina τῶν LXX. lectio fuit ἀπὸ καιρῶν, qui quae so factum est, vt ne vnicus quidem eorum Codicum, qui ad nostra tempora venerunt, hanc lectionem tueatur? Siccine omnes Librarii adeo fuerunt hebraicae linguae ignari, vt ne vnicus quidem errorem hoc loco commissum viderit? An vnus forsitan Librarii oscitantia omnibus hanc legem imposuit, vt pro καιρῶν scriberent καρπῶν? Ita vt statuas, vix a nobis impetrare possumus. Alia potius in promptu sunt argumenta, quibus effici posse putamus, vt haec interpretatio ex ipso τῶν ὁ. ingenio profluxerit. Primo enim haud adeo probabilis est coniectura ista, qua existimant vocem καιρῶν literis vniciabibus scriptam cum καρπῶν ab imperitis Librariis fuisse commutatam. Deinde teste Scholio in Codice vatic. non modo ὁ. LXX, sed etiam tres reliqui interpretes graeci habuerunt τοῦ καρπῶν. Denique haec ipsa interpretatio haud aliena est ab ingenio horum interpretum, in primis τῶν ὁ. qui in explicandis locis difficilioribus haud raro suum interposuerunt iudicium, ita vt non semper hebraicae veritati inhaerent. Sic quoque hoc loco ab illis factum esse putamus. Etsi enim verba illa subobscura רבו והירושם רבו דגנם ורשם bene cum praecedentibus cohaereant, si in versione post verba priora *Indidisti laetitia cordi meo*, supplemus *maiolem*, (vt hic sit sensus, *maiolem quam quae est tempore, quo frumentum eorum et mustum eorum multiplicatur*) tamen ὁ. LXX. hanc Ellypsin ante ὁ comparatiuum necessa-

riam

riam aequae ac facilem, non viderunt, ideoque alia ratione his verbis lucem praeferre studuerunt, sed minus feliciter. Nam licet concedamus Praefixo **D** saepius in sacris literis comperere significationem ἀπό quam h. l. expresserunt interpretes isti, tamen in explianda voce **DV** valde errarunt. Haec enim nunquam habet significationem, quae respondeat graeco καρπός.

Schol. Addimus iam quasdam coniecturas, minoris momenti, quarum

Prima Ps. VII, 14. *) exstat, ubi ex duabus vocibus ἐν αὐτῷ vnam εἰαυτῷ fecit. Nec verba Textus hanc mutationem postulant, nec Codices, quantum scimus, illam tuentur. Contextus enim non suadet interpretationem εἰαυτῷ, quae placuit GRABIO, sed si qua opus esset mutatione, hebraicum יה explicari debuisset per αὐτῷ, illi sc. impio parauit vasa mortis. Sed ne hanc quidem mutationem magnopere necessariam putamus, cum satis defendi possit recepta lectio ἐν αὐτῷ, si verba ista ad praecedentem vocem τόξον referuntur.

*Alter*a occurrit Ps. IX, 30. ubi GRABIVS ἀεπάσαι ex hebraeo posuit loco ἀεπάσαι. Haud multis pugnabimus contra hanc mutationem, quoniam verisimile non est, τοὺς LXX. voces יהוה et יהוה per vnam eandemque vocem ἀεπάσαι vertisse. Librariis potius tribuimus culpam, quibus cum ἀεπάσαι scribere vellet, ἀεπάσαι ex praecedente commate in mentem recurrerat. Sic quoque Chaldaeus יהוה in futuro exprimit, Syrus autem omisit verba יב יהוה.

Tertia obuia est Ps. XXI, 18. ubi ἐξηρηθυσαν mutauit in ἐξηρηθυσσα Hebraico רעבן quoad numerum et personam suffragante. Iam Cap. I. §. 2. Schol. 2. similem vidimus correctionem. Fortasse Librarii, qui non semper textum quem exarabant, intellexerunt, v adiecerunt, vt hanc vocem illi ἐκύλωσαν in praecedente versu similem redderent. Sic quoque Chaldaeus hoc loco prima vsus est persona, *Diminuerabo* (aut potius, *numerare possem*). Reliqui interpretes omnes adhibuerunt tertiam personam Pluralis, omnesque inhaerent consuetae verbi רעבן significationi, praeter Syrum, qui habet *Et ciularunt*.

Quarta denique exstat Ps. XXIX, 12. ubi χαρὰν transformauit in χερὸν, quia לחרן LXX. nusquam sibi verterunt χαρὰν, saepe vero χερὸν. Fatemur, לחרן semper ita verti, tamen cum haec vox per Synecdochen omne

*) Hic versiculus in quibusdam editionibus est decimus quartus, in aliis autem decimus tertius, quae diuersitas inde orta est, quia inscriptio non semper a versuum numero separata est.

omne laetitiae genus designet, atque χαρὰν hoc modo bonum detensum, ipsis τοῖς ὁ. hanc translationem tribuimus. Recte enim dubitari potest, num ex χαρὰν ortum sit χορὸν. Pro recepta autem lectione pugnant Syrus, Arabs et Aethiops, qui etiam habent, *verissimi lætium meum in gaudium.*

§. II.

Pf. XXX, 16. *) GRABIO καιροί pro κλήροι exprimeret placuit. Hoc etiam in loco diu haesimus. Multa enim sunt, quae lectionem *grabianam* commendare videntur. Reliqui interpretes graeci omnes habent καιροί, ut ex Scholio in edit. *rom.* colligimus, quod ita se habet, ὁ Ἑβρ. καὶ οἱ λοιποὶ, οἱ καιροί μου. Sic quoque Chaldaeus et Syrus sequuti sunt lectionem Textus hebraici, quam etiam in Psalterio romano expressam videmus. Nec minus eam commemorat THEODORETUS, qui in suo ad h. l. Commentario his verbis utitur: καιρὸς ἢ κλήρος καλεῖ τὰς τῶν πραγμάτων μεταβολαῖς, πλεῖστον καὶ πένιαν, δολείαν καὶ δεσποτείαν, εἰρήνην καὶ πόλεμον. Quae cum ita sint, vix auderemus lectionem *grabianam* defendere, nisi tria nobis suppeterent argumenta. *Primum* petimus e loco simili Pf. IV, 8. de quo iam in superioribus disputaui. Ex isto enim loco constat, hos interpretes in explicando hebraico nomine נַחְמִי multum ingenio suo tribuisse, nec hebraicam veritatem semper sequutos esse. Non erit itaque, quod miremur, vocem istam hoc in loco per κλήρον explicari, etsi in hebraica lingua significationem istam ignoremus. *Alterum* argumentum plus ad sententiam nostram confirmandam valebit. Pronocemus ad locum Iudic. XXI, 22. vbi Textus hebr. habet נַחְמִי נַחְמִי, quae in versione τῶν ὁ. iuxta Cod. *vatic.* sic exprimitur, ὡς κλήρος πλημμελήσατε. Aliam quidem lectionem l. e. habent Cod. *alex.* et MS. *oxoniense*, quam tamen non attingimus, cum nobis sufficiat, lectionem Cod. *vatic.* indicasse, ex qua apertissime perspicitur, hanc interpretandi rationem licet hebraice falsa sit, tamen ab ingenio τῶν ὁ. non esse alieam. *Ultimum* denique hoc adiungimus argumentum, lectionem εἰ κλήροι non ab omni interpretum et librorum veterum autoritate destitui.

Exstat

*) Inscriptio iterum effecit, ut hic versiculus in nonnullis editionibus decimum quintum constituat.

Exstat enim non modo in Psalterio arab. et æthiop. sed etiam apud Apollinarium.

§. III.

Ps. XLVIII, 9. *) GRABIVS ἐκόπισεν cessavit substituit in locum ἐκοπίσταν laboravit, quæ correctio multam omnino prae se fert speciem, et iam a Luca Brugensi tentata est. Primo ad hanc emendationem confirmandam facit, quod δὲ δ. 777 nusquam κοπίαν reddiderint, sed verbo κοπάξεν verterint, de quo Iud. XV, 7. et XX, 8. aliisque in locis testimonia exstant. Addit deinde, quod ἐκοπίσταν contrarium profus et corruptum faciat sensum. Accedit denique, quod Aquila et Symmachus synonymon πάρομοι adhibuerint. Haec enim sunt verba Aquilae: καὶ ἐπαύσατο εἰς αἰῶνα καὶ ζήσεται εἰς νύκτας. Symmachus habet: ἀλλὰ παυσάμενος τῷ αἰῶνι τοῦτου ζῶν αἰεὶ διατελέσει. Praeterea quam facile litera i in Textum irrepere poterit, omnes vident. Haec omnia etsi ita se habeant, tamen hanc mutationem minus rectam esse putamus, quia interpretatio Syriaca, quam antiquitate sua venerabilem esse norunt harum rerum periti, eandem exprimit lectionem, vnde suspicio oritur, quosdam Codices olim pro 777 habuisse 777. Sic quoque Arabs et Aethiops verbo laborare h. l. vsi sunt.

Schol. Subiungimus iam quasdam leniores coniecturas, quae modo ex auctoritate hebraei Textus, aut latinarum versionum pendunt.

Primo Ps. LV, 13. **) vbi GRABIVS ἀνέσεις σοι loco ἀνέσεώς σου excudi fecit. Hanc mutationem auctoritate Textus hebr. et versione HIERONYMI confirmare studuit. His argumentis addi poterit consensus Symmachi, qui habet ἀποδώσω ἀνέσεις σοι. Lectionem σοι habet etiam THEODORETUS in suo ad h. l. Commentario. Non dubitamus itaque grabianam emendationem lectioni communi ἀνέσεώς σου praeferre.

Deinde Ps. LVIII, 5. ***) κατεύθυνα in κατεύθυναν mutavit, quam mutationem omnino adprobamus. Quid enim facilius est, quam ut Librarii v omiserint? Praeterea non modo sensus eam requirit, sed Symmachi etiam versio; quae habet μὴ ἔσθης ἀνομίας ἐπιτρέχουσιν ἵνα

E 2

πατά-

*) Hic versiculus in aliis editionibus octavum constituit.

**) Hic versus est in quibusdam editionibus duodecimus.

***) Hic versus quartum constituit in aliis editionibus.

παράωσι με eam confirmare videtur. *) GRABII coniecturam adiuvat etiam *Syrus*, cuius versio propius ad hebr. veritatem accedit et hunc sensum exprimit: „Sine iniquitatibus meis eucurrerant contra me et *pararum* (sclē) contra me.“

Postremo, Pf. LXIV, 4. substantivum ἀνομιῶν loco adiectivi ἀνόμων posuit, iuxta hebr. חַטָּוֹת iniquitatum. Quo etiam in loco omissionem literae i Librariis tribuimus. *Grabianam* lectionem series verborum commendat. *Verba iniquitatum* autem ex Hebraismo idem est quod *iniquitates*.

§. IV.

Pf. LXIIX, 27. **) τραυματιῶν σε pro τραυμάτων με excudi fecit. Hanc GRABII coniecturam, quia iterum redit ad omissionem literae i admitteremus, nisi duo obstarent. Primum, quod omnes Codices et MSS. diserte legant τραυμάτων, quae lectio bonum dat sensum. Nec magnopere nos movet argumentum e loco Ezech. XI, 6. petitur, ubi חַלְלָה ab his interpretibus etiam per τραυματιῶν vertitur. Constat enim τοὺς ὁ. saepius vni eidemque voci diuersas tribuisse significaciones. Nec satis liquet, quomodo eam hoc in loco transtulerint: nam *aldina* editio habet τραυμάτων, quam lectionem GRABIVS vitiatam esse putat. Deinde obstat, omnes reliquos interpretes graecos et Editores τῶν ὁ. consentire in lectione μου, quam GRABIVS sine Codicis vllius suffragio mutavit in σου, quod temerarium putandum est, etsi non negandum sit, hanc posteriorem lectionem propius ad hebr. veritatem accedere. Notum quidem est, multis in locis utramque vocem a Librariis fuisse permutatam, hoc loco tamen istam discrepantiam in libris veteribus plane non inuenimus.

Schol. Si hoc vnicum et primum ponendam esset principium, vt textus τῶν ὁ. ad hebr. veritatem refingendus sit, debuisset quoque verbum προσέθηκον, quo οἱ ὁ. in fine huius versiculi vsi sunt, mutari in ἐλάλησαν, aut simile verbum, sicque series eorum quae praecedunt, etiam mutanda scisset. In textu enim hebr. legimus יִרְשָׁוּ יְהוָה לְךָ מִכְּנֹכַח לֵב de dolore confessorum tuorum narrabunt, s. confabulabuntur inuicem. Et sic quoque Chaldaeus habet, de eo qui dolorem suffert propter interfectos tuos obloquuntur. Nec minus Aquila inhaesit verbo יִרְשָׁוּ quod vertit

διηγῆ-

*) Symmachi versio ab aliis sic exprimitur: μὴ ὄσης ἀμαρτίας ἐπιτρέχου-
σιν ἵνα ἐλαύσωσι με, „cum non sit peccatum, irruunt, vt pertrahant
„me.“ Conf. MONTF. Hexapla. Orig. ad h. l.

**) In quibusdam editionibus est versus vigesimus sextus.

διηγήσονται et *Symm.* qui habet ἐξηγούντο. At vero non tantum ὁ LXX. sed *Syrus* quoque *Arabs* et *Vulgatus* aliam h. l. expresserunt lectionem, quae sine dubio fuit שׁוֹרֵי addiderunt. Quam lectionem fors probabilem esse putamus, quia verbo שׁוֹרֵי constructio cum particula לְ familiaris est.

§. V.

Pf. LXXVII, 36. GRABIVS *ἠπάτησαν* fecit ex *ἠγάπησαν*. Librariis hanc corruptionem tribuit, quoniam ἠΓῆ nusquam alibi verbo *ἀγαπάω*, saepissime autem altero *ἀπάται* redditum est a LXX. Interpretibus. Quod quanquam ei concedamus, tamen sententiae eius non subscribimus. Diudicamus potius hanc translationem ex ingenio τῶν ὁ. qui cum viderent, Afaphum sanctitatis simulationem illis hominibus familiarem describere velle, vocem *ἠγάπησαν* aptiorem putabant. Bene eos ita existimasse quisque concedet, qui noverit, verbum ἠΓῆ in Piel idem esse quod *blandiendo allicere* s. *pellicere*, sicque Afaphum nihil aliud dicere velle, quam hoc: et blandis verbis Deum quasi allicere s. eius fauorem captare voluerunt, et ore professi sunt, se Deum amare. Hanc esse satis aptam istorum verborum interpretationem, vidit etiam interpretes *Syrus* nec non *Arabs*. Uterque enim habet, *dilexerunt eum ore suo*.

Schol. Sequuntur leuiore quaedam mutationes.

Prima existit in eodem Psalmo vers. 54. vbi *ἔξος montem* in *ὄρειον terminum* transformauit, iuxta hebraicum הַרְבֵּי. Prouocat ad commutationem duorum horum vocabulorum aliis in locis obuuiam, veluti Iudic. II, 9. vbi *rom.* et *complus*. Editiones male habent *ὄρει*, sed *aldina* vna cum MS. *alex.* bene *ὄρειων*, contra vero Ezechiel. XI, 10. editio *complus*. recte habet *ὄρειων*, cetera autem exemplaria modo dicta perperam *ὄρειων*. Quod etsi ita se non haberet, tamen h. l. Librariis culpam tribueremus, utpote qui vocem *ὄρειων* cum nomine *ἔξος*, quod paucis interiectis sequitur, permutasse videntur.

Secunda occurrit v. 57. vbi *ὡς τόξον* pro *εἰς τόξον* iuxta Hebraicum כַּוְכָב exendi fecit. Si Codicum autoritate muniretur coniectura ista, lubentissime eam amplecteremur, quia alios etiam Interpretes Textum hebr. sequutos esse videmus. Ita enim *Chaldaeus* habet: *sejse conuerterunt sicut arcus excutiens sagittas: Syrus autem, et retroacti sunt insar arcus dolosi*. Sed Codicum testimonio destituti retinendam esse putamus receptam τῶν ὁ. interpretationem ac lectionem, quippe quae bonum dat sensum istum, *conuersi* s. quasi mutati sunt in arcum dolosum.

§. VI.

Pf. LXXVIII, 9. GRABIVS καὶ inferuit. Nullus Codex hanc correctionem adprobandi nobis occasionem offert. Atque id, quo ille suam sententiam confirmare putauit, quod nimirum καὶ prima interpretis manu scriptum, a Librariis autem perperam mutatum videatur in vocem κύριε, tam incertum est argumentum, ut ei parum tribuere possimus. Prouocat quidem ad ORIGENEM, apud quem hanc vocem κύριε obelo transfixam legimus, sed difficilis h. l. existit quaestio, vtrum ORIGENES id, quod vult GRABIVS, indicare voluerit, sc. τοὺς ὁ. h. l. a veritate hebraica aberrasse, et nomen illud κύριε per errorem Librariorum ex καὶ ortum esse, quod omnino parum probabile esset. Nobis ita videtur, ORIGENEM, cum vocem κύριε obelo notaret, nihil aliud significare voluisse, quam quod omnes concedunt, scilicet vocem istam κύριε non ad Textum authenticum pertinere. Videtur itaque haec vox ex ingenio τῶν ὁ. profluxisse, cum putauerint, nexus causa opus esse isto additamento.

Schol. Vix necessarium esse videtur, sequentis correctionis Pf. CI, 22. vbi GRABIVS βασιλεῖς in βασιλείας mutauit, multis mentionem facere. Mittamus hebraeum et latinas e graeco versiones, quae regna sonant; mittamus probabilitatem, quod Librarii litteram α. neglexerint, id vnum modo proferamus, quod sensus huic lectioni maxime faueat. Aliam paucis attingimus mutationem, quae pertinet ad eiusdem Psalmi vers. 27. vbi pro ἐλίξεις GRABIVS substituit ἀλλάξεις, et quidem haud male, ut putamus. Nam praeter consensum Textus hebr. pro hac correctione pugnat etiam Symmachus, cui quidem a quibusdam tribuitur interpretatio ista καὶ ὡς ἐνδύμα ἐλίξεις αὐτούς, sed a PRAESIDE Celeberrimo, qui iam nouam THEODORETI editionem e Codicibus auctam parat, didici, in Cod. quodam augustano peractusto pro ἐλίξεις discrete scriptum esse ἀλλάξεις. Obseruat quoque MONTE. in Hexaplis ad h. l. Interpretem THEODORETI (*Carafam* puto) eandem olim habuisse lectionem.

§. VII.

Pf. CV, 4r. vocem ἐθῶν iuxta Hebraeum et latinam ex Hexaplarum editione versionem posuit loco ἐχθρῶν. Nos autem qui nec ad Hebraicum textum solum, multo minus autem ad latinam versionem respicimus, sed lectiones ex ingenio atque consuetudine τῶν ὁ. diiudicamus, hanc iis etiam tribuimus. Hi enim cum animaduertent vocem ἐχθρῶν maiorem quam ἐθῶν habere perspicuitatem,

tem, eundemque simul sensum h. l. exprimere, illam substituerunt. Qua postrema causa fortasse etiam commoti sunt, ut Ezech. XXXIX, 27. pro ἐχθρῶν ponerent ἐθνῶν. Quo quidem in loco quidam libri habent ἐν τῶν χωρῶν τῶν ἐχθρῶν αὐτῶν sed fortasse modo illi, qui comparisonem cum Hebraeo instituerunt, atque τοῦ LXX. emendare voluerunt. Quod quidem a vero non abhorreere videtur, si perpendimus, quosdam etiam ἐν τῶν χειρῶν αὐτῶν solum legisse.

Schol. Pf. CXVIII, 16. ζήσομαι pro ζῆσόν με excudi fecit autoritate Hebraei et Latini Textus. Favent etiam huic lectioni Syr. Arab. et Aethiop. versio. Ex eo autem quod vers. 72. et 144. eadem corrupta lectio in alex. Codicem irreperit, cum alia tamen exemplaria in his recte haberent ζήσομαι, patet, quam frequentia sint ea Librariorum vitia.

§. VIII.

In eodem Pf. vers. 158. ἀσυνθεῖντας pro ἀσυνεῖντας exprimere placuit GRABIO. Duo potissimum sunt argumenta, quae ad eius sententiam amplectendam nos non alliciunt tantum, sed, ut ita dicam, cogunt. *Primum* quod plurimum apud nos valet, est ab ipso τῶν ὁ. ingenio et more petum. Solent enim aliis quoque in locis hebr. אֲשֶׁר per ἀσυνθεῖν exponere. Conf. Pf. LXXII, 15. et Ier. III, 8. 10. 11. *Alterum* desumimus a consensu reliquorum Interpretum graecorum, qui vel eadem hac, vel simili voce vti sunt. *Aquila*, *Theodotion* et Editio *sexta* habent ἀσυνθεῖντας. *Symmachus* autem et Editio *quinta*, ἀσυνεῖντας. Priori interpretationi favent Psalt. rom. Hil. et Ambr. in quibus legitur: non servantes pactum; posteriori autem patrocinatur *Vulg.* qui habet *praevaricantes*. Satis antiquam tamen esse lectionem istam ἀσυνεῖντας colligimus e Psalterio quodam vetusto a BOSIO allegato et ex AVGVSTINO. Viroque loco אֲשֶׁר explicatur per *infernatos*, malo sane sensu et parum latine.

§. IX.

Calculo nostro dignam habemus correctionem GRABII Pf. CXXXVII, 2. vbi ἄγιον mutavit in λόγιον. Variam iam ab antiquissimis temporibus existisse lectionem testis est CHRYSOSTOMVS in Scholiis *Romanis* allegatus, cuius haec sunt verba: ἕτερος ἐπιγράμματος γὰρ ὑπὲρ πάντα τὰ ὀνόματα σε τὴν ἐξῆς σε ἄλλος, τὸ λόγιον σε. Ita quoque SYRUS haec transtulit: quia magnificasti super omnia
nomen

nomen eloqui tui. Librario ἄγιον, quod in praecedente Hemistichio descripserat, vel in oculis vel in animo erat, cum λόγιον scribere deberet: quod eo facilius accidere poterat, quia etiam ἄγιον bonum sensum admittit.

§. X.

Pf. CXXXVIII, 20. ἐρεῖ τε posuit pro ἐρεῖς, quia postremum & occasione eiusdem literae proxime sequentis excidisse ipsi videbatur. Hanc vocem a Librario corruptam esse facile concedimus. Inuenimus enim, eam alibi in ἐρεῖς fuisse mutatam, ut obseruatur in Schol. Edit. rom. ad h. l. quod ita a ΒΟΣΙΟ exhibetur, γὰρ φεταὶ ὅτι ἐρεῖς εἰς διαλογισμός. Alii libri habent ἐρέεις; quidam ὅτι ἐρεῖς ἔσε. Haec omnia autem etsi ita se habeant, tamen nostram non facimus GRABII coniecturam, utpote quae sensum Textus, quod ipse fateretur, non satis exakte refert. Statuimus igitur τοῖς ὁ. hanc vocem recte transtulisse, Librarium autem quandam eam adulterasse, et sic variis versionibus occasionem dedisse, ut e fragmentis trium Interpretum graecorum perspicimus. Alia enim est Aquilae interpretatio, ὅτι ἀντιλέξασί σοι εἰς ἀπένοιαν ἦραν εἰς εἰκὴ ἀντίζηλοι σε; alia Theodotionis, ὅτι ἐρεῖσά σοι εἰς διαλογισμόν; alia denique Symmachii, οἵτινες ἀντέλαλησάν σοι διαλογισμῶ ἐπήρθησαν ματαῶς εἰ ἐναντία σου. Editio autem quinta habet ὅτι παρεπίκρανάν σε ἐν κακοβουλία. Harum omnium tanto diuortio a se inuicem disiunctarum interpretationum nulla satis bene exprimit sensum Textus, quem hunc esse putamus: loquuntur de te scelerate.

Schol. Pf. CXLIII, 12. GRABIO ἠδερυμμένα magis placuit, quam ἠδερυμένα. Sed non videmus, cur hunc locum in dubium vocauerit, cum vox ἠδερυμμένα perbene respondere videatur hebraico דַּרְיָמָה, ipsius autem coniectura nullo antiquitatis monumento superstrui poterit.

§. XI.

Progredimur nunc ad coniecturas in libro Iobi obuias, in quibus recensendis breuiores erimus. Prima exstat Cap. IV, 10. Minime laudandam esse putamus huius loci correctionem a GRABIO factam, qui voce ἠδερυμμένα, in qua lectione omnia graeca consentiunt exemplaria, in marginem relegauit, atque ἠδερυμμένα, in Textum posuit, ut accurate exprimeret Hebr. דַּרְיָמָה. Si LXX. interpretes huic voci propriam significationem h. l. subiicere voluissent,

sent, vix dubitandum est, quin hac voce debuissent vri; sed cum sine dubio viderent פְּרָעוּ h. l. metaph. impiorum violentiam significare, eos non sine ratione vocabulo $\sigma\theta\epsilon\upsilon\sigma$ vfos esse, quis non videt? Accedit adhuc, quod hoc modo tautologiam quandam euitaret, nam $\epsilon\theta\epsilon\upsilon\sigma$ et $\Phi\omega\eta$ haud adeo diuersum habent significatum. Vtunque se res habeat, GRABIVS male egit, idemque vitium, quod Complutenses (qui vt confirmarent Vulgatam, Textum graecum secundum versionem latinam adulterasse putantur) commisisset, nisi $\sigma\theta\epsilon\upsilon\sigma$ simul in margine excudi fecisset. Editores complutenses adhibuerunt h. l. vocem $\epsilon\theta\epsilon\upsilon\sigma$, quam tamen in mendo cubare iam obseruauit GRABIVS.

§. XII.

Cap. IX, 13. GRABIVS negatiuum $\epsilon\kappa$ inferuit, auctoritate hebraei Textus et Hieronymianae e graeco versionis, quae ita se habet, *ipsum enim inauersibilis est ira*. His argumentis addi poterit versio Symmachi, quae haec est: $\acute{\omicron} \theta\epsilon\delta\varsigma \acute{\omicron}\delta \acute{\alpha}\nu\alpha\pi\acute{\omicron}\sigma\tau\epsilon\rho\tau\omicron\varsigma \eta \delta\epsilon\gamma\eta$. Sic quoque Chaldaeus, Syrus et Arabs, qui omnes Textum hebr. secuti sunt, fauent lectioni grabianae. Horum autem restium autoritas, etsi magna sit, tamen tanta nobis non videtur, vt sine Codicis suffragio a communi lectione $\tau\acute{\omega}\nu$ LXX. recedamus, quippe quae omnino ingenio horum interpretum satis accommodata est. Nouimus enim, hanc fuisse eorum consuetudinem, vt loquendi formulas paululum duriores ad captum suum transformarent, sicque omni offensionis occasionem praeriperent. Haec, nisi omnia nos fallunt, mutationis h. l. ab illis factae, fuit ratio. Cum enim verba Textus $\text{בְּנֵי אֱלֹהִים לֹא יִשְׁתַּחֲוֶינָה לְאֱלֹהִים$ sensum Deo fortassis minus dignum habere illis viderentur, omiserunt particulam לֹא , rati, hoc modo omni errori ex male intellectis verbis istis orituro, prospici posse. Hoc tamen eorum consilium nobis non ex omni parte se commendat.

Schol. Emendationem v. 21. vbi verbum $\eta\sigma\epsilon\beta\eta\sigma\alpha$ commutandum, ac v. 24.

$\gamma\eta$ pro $\gamma\acute{\alpha}\rho$ ponendum putauit, laudamus, quoniam non modo orationis nexus utramque efflagitat, sed etiam praecedens v. 20. eam imprimis suadet, praetereaque longe probabilius est, Librarios h. l. illa verba permutasse, quam interpretes istos ita vt nunc habemus, scripserunt. Quod autem in fine v. 25. vocem $\acute{\alpha}\gamma\alpha\theta\omega\tau\acute{\omicron}\nu\eta\eta$ addiderit, nollemus ab eo factum esse; cum iure dubitari possit, an tota ista vocula a Librariis omnibus fuerit

fuerit neglecta, et de his interpretibus satis constet, eos non religioni duxisse hanc vel illam vocem in versione sua omittere. Si autem quoque concesserimus, nomen istud $\Gamma\alpha\gamma\omega$ debuisse ab illis exprimi, tamen valde dubitamus, an vox *ἀγαθωσίνη* eorum consuetudini et scribendi generi satis sit accommodata. Vtuntur enim Pl. LXIV, 12. et LXVII, 11. nomine *χερσότης*. Pl. XV, 2. autem nomine *ἀγαθαί*, ad exprimendam istam hebraicam voculam. Correctionem Cap. X, 9. adhibitam, vbi *ἀποσρέφεις* in *ἀποσρέφεις* mutauit, nominare sufficit. Primo enim intuitu, vnicuique similitudo permutatarum literarum patet. Locus iste Cap. XII, 10. vbi GRABIVS *πάσης σαρκὸς ἀνθρώπου* iuxta *hebr.* Textum ac latinam ex graeco versionem, *omnis carnis hominis*, excudi fecit, iterum nobis praebet exemplam eius quod supra iam saepius diximus, scilicet *τὰς ὁ*. hebraea non semper ad verbum transtulisse. Placuit GRABIO Cap. XIII, 16. magis *δῶλιος*, quam *δῶλος* ob hebraeam vocem דָּוָל . Sequeremur eius sententiam, inprimis cum multis in locis literam *l*, neglectam videamus, nisi etiam plures eius generis translationes occurrerent et omnium Codicum consensus pro voce *δῶλος* pugnaret.

§. XIII.

In eodem Cap. vers. 20. GRABIVS particulam *μη* inseruit. Pro- uocat quidem ad textum hebraicum, cuius tamen in lectionibus hisce diiudicandis non vnice rationem esse habendam putamus. Et si quoque admitteremus, iuxta *hebr.* veritatem mutandas esse lectiones *τῶν ὁ*. tamen huic officio nondum satisfecit GRABIVS, cum particulam *μη* adiecerit. Debuisset enim totam verborum seriem mutare, vt responderet textui *hebr.* qui ita habet, $\text{וַשְׁתַּחֲוֶה־לֵּךְ עִמָּוֹתַי וַיִּשְׁתַּחֲוֶה־לֵּךְ עִמָּוֹתַי}$. Haec *Aquila* et *Theodot.* bene interpretati sunt, *πλήν δύο μη ποιήσης μετ' ἐμῶν*. Leuis itaque et vix aestimanda est illa correctio, quam h. l. instituit GRABIVS. Particulam *μη* ob continuo sequens *με* excidisse putat, sed nescio an satis recte. Putarem potius, omissionem huius voculae ipsis *τοῖς ὁ*. esse tribuendam, quos saepius hanc illamue vocem neglexisse scimus, si eam minus necessariam esse putabant.

Schol. Duplicem illam e coniectura factam mutationem Cap. XIV, 20. vbi *ἐπέστησας* in margine posuit, in textu autem *μετέστησας*, atque in fine versus *αὐτῶν* adiecit, iusto audaciorum esse putamus, cum in nullis Codicibus et MSS. huius corruptionis inueniamus vestigia.

§. XIV.

§. XIV.

Cap. XVI, 10. *) pro ἐπὶ vel εἰς τὰ γόνατα expressit εἰς σιαγόνα. Non videmus, quomodo GRABIVS dicere potuerit, hoc facili mutatione factum esse: parum enim similitudinis inter τὰ γόνατα et σιαγόνα intercedere putamus. Artificiofior nobis videtur haec translatio, quam vt eam Librario adscribere debeamus. Putamus itaque, eam ab ipsis τοῖς LXX. ortam esse: qui cum intelligerent, Iobum h. l. significare velle, quantopere a suis amicis et propinquis derideretur, id hac loquendi formula ἐπαῖσέ με εἰς τὰ γόνατα h. e. percussit me in genua l. prostravit, exprimi putabant. Et hac quidem ratione idem dixerunt, quod hebr. יָרַדְתִּי לְעַדְיָי indicat, quanquam pro more suo, aliis verbis.

§. XV.

Cap. XIX, 28. ἐριζόμεν concertabimus, posuit pro ἐρεθόμεν dicemus, quam emendationem non plane quidem reiicimus, non adeo tamen necessariam esse putamus. Etsi enim הִרְיָו plerumque sensu malo de persecutione hostili sumitur, quam significationem quoque Symmachus verbis istis: λέγετε δὲ τί ἐστὶν ὃ διώξομεν αὐτὸν expressit: tamen non prorsus reiicienda, aut ab hoc verbo aliena, est significatio illa dicendi, quam οἱ ὁ. h. l. praefendam esse putarunt. Ita enim Graeci dicere solent, διώκειν ἕνεκα ἀρετῆς, h. e. dicere de alicuius virtutibus s. celebrare virtutes. Et huic quidem loco satis aptam esse significationem istam, e contextu iudicarunt οἱ LXX. Amici enim Iobi non armis, sed verbis illum insectabantur. Verum quidem est, quod GRABIVS pro sententia sua defendenda in medium protulit, nimirum τοὺς ὁ. Prou. XIX, 7. hebr. הִרְיָו per ἐρεθίζεν vertere, at vero ne hoc quidem argumento nobis veritatem interpretationis suae persuadere potuit. Ipse enim alium locum allegat ex hoc ipso libro Iobi Cap. XIII, 25. desumptum, vbi οἱ ὁ. verbum הִרְיָו per ἀντιρρησημὸν explicant. Num itaque pluribus opus erit argumentis, vt euincamus, hos interpretes pro more suo vnum idemque verbum modo sic modo aliter expressisse, prouti contextus postulare videbatur? Cum itaque h. l. verba Textus lectioni receptae fauceant, recedimus a partibus GRABII, qui putat, Librarium

*) Hic versus constituit in quibusdam editionibus vndecimum.

rium per vocem proxime praecedentem ἐρεῖτε deceptum fuisse, ita ut ἐροῦμεν scriberet pro ἐρισῶμεν.

Schol. Non omnino displicent nobis GRABII correptiones Cap. XX, 7. vbi ἰδόντες pro εἰδότες et v. 25, vbi ἀτραπή pro ἀνδρα, ut minus recte in Cod. alex. legitur, exprimi curavit. Priorem emendationem desiderat orationis sensus; posteriorem confirmat Aquilae versio, quae haec est: καὶ ἀτραπή ἀπὸ προσώπου αὐτῆ πορεύεται ἐπ' αὐτόν. Atque tales depravationes a Librariis ortas esse, nemo negabit. Satis aperte Librarium negligentia loco posteriori cognoscitur, vbi pro ἀνδρα ut habet Codex alex. in Cod. varic. legitur ἀτρα, sed aeque male, quia voci אַרְאָ neutra harum interpretationum satis est accommodata. Nec displicet nobis sequens correctio Cap. XXI, 21. vbi τὸ in τί interrogativum mutavit, quam hebr. אַרְא, et sensus verborum Iobi requirit: sed quod Cap. XXII, 27. ποιήσεις facies nullam aliam ob rationem, quam propter Textum hebr. sine vll us Codicis autoritate, excudi fecerit, nobis minus placet.

§. XVI.

Cap. XXIII, 4. ἐμπλήσαιμι fecit ex ἐμπλήσει με, quam emendationem omnino laudamus. Hoc enim vocabulum Librarium culpa corruptum esse, e dissensu variarum lectionum cognoscitur. Aliter enim legerunt vaticani Codicis Editores, qui habent ἐμπλήσας, quam lectionem defendunt Syrus et Arabs; aliter aldinæ et complutensis Patres, qui exhibent ἐμπλήσω, cui lectioni fauet Chaldaeus; aliter denique habuit GRABII MS. quod legit ἐμπλήσει με. Et ex hac postrema lectione duxit GRABIVS suam coniecturam, omnino non spernandam, donec Codicis cuiusdam autoritate muniarur. Primam enim Personam non modo hebraicum מְמַלֵּךְ postulat, sed etiam Chaldaei interpretatio confirmat, ne de ald. et complut. Editione praeterea quicquam dicamus.

Schol. In eodem Cap. vers. 15. pro ἐπ' αὐτῶ a GRABIO positum est ἀπ' αὐτοῦ. Hanc mutationem hebraico אַרְא aptiorem esse non negandum est. Miramur tamen, cur GRABIVS non alteram quam in Codice suo invenit lectionem, quae est ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ, Textui inseruerit. Duplici enim ratione in Cod. alex. verba prima huius versiculi explicantur. Primo sic: διὰ τοῦτο ἐπ' αὐτῶ ἐσπουδάκειν. Deinde rectius hoc modo, ἐπὶ τόντω ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ κατασπουδάθει.

Quod Cap. XXIV, 5. pro ὑπὲρ ἐμοῦ posuerit ἐπ' ἐμήμου, non ex sola coniecturâ, nec solo Textu hebraico praeeunte fecit, sed quia in Scho-

lio ad h. l. notatum invenit ὁ Ἐβραϊὸς ἐπ' ἐρήμων. Quae cum ita sint, admittendam esse putamus hanc correctionem, quae ad sensum illustrandum omnino multum confert.

§. XVII.

In eodem Cap. vers. 22. ἀδυνατός mutavit GRABIVS in δυνατός. Et recte quidem ita factum esse, omnia docent. Docet Hebr. דַּבָּרִים, quod nullo in loco de impotente sumitur. Docet ipsa τῶν ὁ. consuetudo, a quibus ista vox per δυνάσεως et ἰσχυρός vel ἰσχύων plerumque vertitur, passim quoque ad Deum aut angelos, ratione fortitudinis transfertur, nunquam autem de impotente vsurpatur. Docet denique connexio cum ceteris. Describit enim Iobus in hac suae orationis parte illas acerbas poenas, in quas plerumque praeter opinionem incidunt impii, et hoc inprimis in versu periculum depingit, quod illis quovis momento a potentioribus, quos oppressisse existimant, impender.

Schol. Cap. XXVI, 12. ἔσρωσεν emendare voluit verbo ἔτροσεν, quam emendationem non necessariam fuisse existimamus, cum ὕψος etiam prosterendi significationem admittat; et haec vox magis accommodata videatur sensui, qui ex versione Symmaci cognoscitur συναγαῖ ἀλαζονείαν.

§. XVIII.

Cap. XXVIII, 26. pro ἔτος ἰδῶν excudi fecit ἔτος ὑετῶν. Felix profecto est haec, quam non sine ratione adhibuit GRABIVS, emendatio. Duo fuerunt, quibus, ut huic loco medelam afferet, adductus est. Primum enim haec verba non modo abhorrebant ab hebraica veritate, sed etiam non sine maxima difficultate intelligi poterant. Deinde ipse Codicum dissensus aliam suadebat lectionem. Complutenses enim iam habebant vocem ἔτος, quam retinuit GRABIVS. Ἰδῶν autem, quod h. l. sensum nullum dare poterat, mutavit in ὑετῶν, quam mutationem et hebraica vox יָמַד et consuetudo τῶν ὁ. a quibus semper per ὑετός redditur, adeo probabilem faciunt, ut nil nisi Codicis cuiusdam autoritas desiderari posse videatur.

Schol. Librariorum culpa lectionem πάντες pro πάντες, ut GRABII diligentia nunc legimus Cap. XXIX, 8. ortam esse, facile concedendum est: quanquam emendationem v. 15, ubi τυφλῶ ac χυλῶ, loco τυφλῶν ac χυλῶν posuit, haud necessariam putamus. Casus enim mutare et Pluralem pro Singulari substituere, a consuetudine τῶν ὁ. plane non abhorret.

§. XIX.

Cap. XXX, 1. inter duas voces μέγας et ὄν GRABIVS tertiam ἡμερῶν inferuit, vt מגדל exprimeretur. Quamquam multa opus sit circumspeditione, ne Librariis, quos multa cum religione libros divinos descripsisse scimus, vitia, quae non commiserint, tribuamus; tamen h. l. non haesitamus, in eos culpam omissionis vocis ἡμερῶν transferre. Et hoc quidem non solum *Hebr.* מגדל desiderat, sed ceterarum quoque versionum autoritate, vt ita iudicemus, tenemur. Apud *Theodotionem* enim haec ita efferuntur: νεώτεροι μὲν ἡμέρας, et *Aquila* hunc in modum ea transtulit: Βραχέες παρ' ἐμὲ ταῖς ἡμέραις. Addidit praeterea GRABIVS probabilem huius omissionis rationem, quippe quod ἡμερῶν ob vocabulorum μέγας et ὄν similitudinem excidisse videatur.

Schol. Varias emendationes in hoc Capite adhuc occurrunt, quas brevitatis causa coniungimus. Scilicet vers. 17. GRABIVS pro נחת excudi fecit נחת sicuti reliquae נחת habent. Deinde vers. 20. pro ἐσησαν et κατενόησαν , posuit ἐσησα et κατενόησας , et vers. 21. ἐπέβησαν posuit loco ἐπέβησαν . Has omnes correctiones, tum propter Textum *hebr.* tum propter antecedentia et consequentia, necessarias esse putavit. Nos quidem, vt e superioribus liquet, parum fauimus coniecturis istis, quae nullius Codicis autoritate manitae sunt, tamen, quia haec omnes mutationes non nisi ad vnam alteramue literam spectant, non difficiles erimus in admittendis istis correctionibus. Notissimum enim est, Librarios saepius literam aliquam vel neglexisse, vel mutasse, vel addidisse, vt ipse GRABIVS de *Cod. alex.* monuit, in *Proleg.* ad *Tom. I. Cap. I. §. 6.* Posteriori emendationi, quae ad vers. 21. pertinet, *HIERONYMI* quoque interpretatio fauet, quae habet *aggressus es*. Denique *Cap. XXXI, 9.* vocem ἐτρέπε cum simili ἐτάλε commutavit, quam correctionem, cum leuis sit, silentio praeterimus.

§. XX.

In eodem *Cap. XXXI, 31.* negatiuum δὲ post ἀντὶ iuxta *Hebraeum* inferuit. Bis quidem in hoc versiculo δὲ LXX. omiserunt Particulam negatiuam, GRABIVS autem non nisi in vniço loco nimirum in fine versiculi eam suppleendam esse duxit, quod tamen, si res ad *hebr.* veritatem reuocari deberet, eodem iure ab initio huius versus fieri potuisset. Sed inhaerebimus tantum verbis vltimis, quae iuxta *GRABII* sententiam emendatione opus habuerunt, quam sic instituit,

tuit, ut ante *πλησθῆναι* infereret Particulam *ὅν*, quam ob praecedentem vocem *αὐτοῦ* excidisse putavit. Infelix sane haec fuit coniectura et emendatio: repugnat enim menti Scriptoris sacri, quam si quid videmus, satis bene expresserunt *ὁ*. LXX. etsi pro more suo aliis vsi sint verbis. In Textu *hebr.* Iobus falsis amicis suis haec tribuit verba. „*Quis dabit s. o si quis daret (nobis) de carne eius: non satiabimur.*” Haec in versione τῶν *ὁ*. sic exprimuntur, *Τίς ἂν δῶν ἡμῖν τῶν σαρκῶν αὐτοῦ ἐμπλησθῆναι*, quae verba a Textu *hebr.* non nisi quoad verba ultima differunt. Pro eo enim, quod in Codice sacro dicitur, *non satiari*, in versione τῶν *ὁ*. substituitur Phrasis similis sc. *impleri*, quod idem est ac copiose satiari cibo aliquo. Iam si cum GRABIO supplemus *ὅν*, nonne falsus in Textum inferretur sensus? Quae cum ita sint, manifestum erit, Virum Cl. hoc loco errasse. Nam si voculae *ὅν* locus esse deberet, tunc pro *ἐμπλησθῆναι* (s. VI GRABIVS legere maluit, *πλησθῆναι*) poni deberet *κορεσθῆναι*. Vique distinctius adhuc appareat, in Textu τῶν *ὁ*. h. l. nulla opus esse mutatione, confirmabimus eum aliorum interpretum suffragio, quod OLYMPIODORVS ita exhibet: *οἱ δὲ λοιποὶ οὕτως ἐξέδοξαν εἰ μὴ πολλὰς εἶπον οἱ ἄνδρες τῆς σκηνῆς μου, τίς δῶν τῶν σαρκῶν αὐτοῦ, καὶ ἐμπλησθῆσόμεθα, εἰ ἰμπελίμυρ s. satiabimur ea.*

§. XXI.

Cap. XXXII, 1. loco *αὐτῶν* substituit GRABIVS *αὐτοῦ*. Textui quidem hebraico satis conveniens est lectio *grabiana*, quam etiam praeter *Chaldaicum*, confirmare videtur AVEVSTRINVS, qui habet *αὐτοῦ*: quo minus tamen lectionem istam amplectamur, haec impediunt rationes. Primum pugnat pro lectione *ἐναντίον αὐτῶν* optimorum, quos novimus, Codicum consensus. Fauet deinde ei non modo *hr. et arab. versio*, sed *Symmaci* quoque interpretatio, quae haec est: *διὰ τὸ αὐτὸν δίκαιον φερέσθαι ἐπ' αὐτῶν*. Exhibet porro aequae bonum sensum, simulque causam nos docet, cur tres Iobi amici orationi finem fecerint. Accedit denique, quod haec causa intermissi colloquii illis forsitan aptior et probabilius videretur, quod si vera ita se habeat, non est, quod miremur, eos hoc etiam in loco ab hebraica veritate recessisse.

Schol. Coniungimus quasdam leniores mutationes. Cap. XXXIII, 14. pro *καλήσας* posuit *καλήσει*. Cap. XXXIV, 9. ex GRABII emendatione legi-

legimus *παρὰ Κυρία* pro *παρὰ Κυρία*. Ibidem v. 17. *καὶ* pro *δινα* exprimi curavit. Ex sequenti Cap. XXXVI, 8. addimus adhuc mutationem vocis *ὄι* in *ἐι*. Hae omnes mutationes, quia tantum ad literas quasdam pertinent, satis magnam omnino prae se ferunt speciem, quia saepius a Librariis in literis peccatum fuisse, ipse GRABIVS in Proleg. exemplis docuit. Nihil itaque quam Codicum autoritas ad confirmandam harum lectionum veritatem desideratur.

§. XXII.

Cap. XXXVI, 16. *προσέτι* loco *πρὸς ἐπι* reposuit GRABIVS. Non nova est haec eius coniectura. Graecus enim Scholiastes eam his verbis iam protulit: *ὁ ΕΖε. ἔχει καὶ προσέτι ἠπάτησεν σε*. Hunc igitur cum sequutus sit GRABIVS, ad partes eius accedimus. Nam locum istum corruptum esse, lectionum dissensus satis docet. Praeter hanc enim, quam iam produximus, lectionem, eamque, quam in vulgaribus exstare videmus Codicibus, adhuc diuersam apud *Polychronium* legimus, qui habet: *καὶ πρὸς ἐπει ἠπάτησεν σε*. Recte GRABIVS eam elegit, quam genuinus verborum Iobi sensus et particula *ἦν* postulabat.

Schol. Ibid. v. 21. Librarii literam *ν* addidisse videntur, quam GRABIVS remouit, ita ut nunc *τούτων* in *τούτο* mutatum legamus. Iuxta hanc interpretationem *מִן-לָּךְ* idem esset hoc in loco, quod alias per *מִן-לָּךְ* exprimi solet. Minus tamen nobis placet haec interpretandi ratio, quia particula *לָּךְ* hoc in loco non habet significationem sibi propriam, sed potius ad constructionem verbi *מִן-לָּךְ* pertinet. Bene itaque haec a Chaldaeo, ita exprimi videmus, *hoc enim* (sc. mendacium) *elegisti prae afflictione*. Romani Editores legerunt *ἐπι τούτων*. Editio *ald.* et *complut.* habent *ἀπὸ τούτων*. Vtrumque minus bene. Progredimur ad v. 30. vbi *ἐκπέει* pro *ἐκπέει* posuit, quoniam Librarii literam *ι*, ut videtur neglexerunt Cap. XXXVII, 7. *) pluralem *κοίταις* loco *κοίτης* iuxta *hebr.* substituit, idque non sine multa specie. Librarios enim multis in locis literas *η* et *αι* mutasse testantur exempla satis magno numero obuia. Sic habuit MS. *alex.* Sophon. I, 14. *ἡ μεγάλη* pro *μεγάλη*, et Ierem. III, 21. *Φωνή* pro *Φωνή*.

§. XXIII.

Cap. XXVII, 8. **) *αὶ δινα* excudi fecit pro *ὀδύνη*. Laudat GRABIVS cuius etiam h. l. laudamus emendationem, *hebr.* Textum, vbi

*) Hic versus constituit in quibusdam editionibus octauum.

**) In aliis editionibus hic versus est nonus.

vbi vox קָטָו exstat. Concedimus, nomen illud etiam metaphori-
ce graues et vehementes Dei poenas designare, vt Cap. XXI, 28.
Cap. XXVII, 20. adeoque per ὀδύνας verti posse, si nexus cum cete-
ris talem translationem desiderat. Quod cum h. l. non inueniamus,
ex altera vero parte imaginis diuinæ, quam Iobus depingit, maie-
stas imminueretur, et nexus difficilior redderetur, eam tanquam a
Librariis ortam lectionem reiiicimus. Nam si οἱ LXX . ita transtul-
issent, profecto etiam ψύχες in altero hēmistichio, quod priori re-
spondet, metaphorice vertissent. Præterea HIERONYMI versio-
nem, in qua *tempestas* legitur, laudat GRABIVS; cui adhuc *Aquilæ*
versionem adiiicimus, quæ habet *συσσειταιμοί, terræ motus*.

Schol. Vers. 10. *) καταπλήσει pro καταπλήσσει exprimendum curauit
GRABIVS. Scriptores quidem hoc in loco in diuersas abeunt sententias,
vt *Olympiodorus* docet his verbis: $\text{ἕτερα δὲ ἀντίγραφα, ἀντὶ τῶ κατα-}$
 $\text{πλήσει, καταπλάσει ἔχουσιν}$, tamen lectionem καταπλήσει tribui-
mus τοῖς ὁ. quia cum ceteris bene conuenit, et hebraicum קָטָו hanc
significationem admittit, quod in lingua arabica *longe remouere* designat.
Vers. 17. **) ἰχθυαὶ iuxta hebraicum posuit pro ἰχθυαῖ ita vt ad *παλαιώ-*
ματα referatur, non ad *σερῳάσεις*. Valde probabilem adhibuit ratio-
nem, nimirum Librarios hoc verbum futuri temporis pro nomine sub-
stantiuo perperam habuisse, ideoque ἰχθυαῖ scripsisse. Sed minus recte,
vt putamus, ἐπίδεν Cap. XXXIIX, 12. mutauit GRABIVS in ὀϊδε . Nolu-
mus quidem lectionem receptam Codicis *alex.* hoc in loco defendere, pa-
tet enim in mendo cubare eam: tamen si ex coniectura emendandus esset
hic locus, mallems cum CHRYSOSTOMO scribere ἐγνωρίσας . Ita enim
iubet tota verborum, quæ præcedunt, series, ita quoque a *Chaldaeo* aliis-
que Interpretibus expressum videmus hebraicum קָטָו notum fecisse &
ostendisti.

§. XXIX.

Apta profecto est emendatio Cap. XXXIIX, 38, vbi vox χωρεῖα a
GRABIO præfertur lectioni κονία . Satis probabilibus rationibus
suam coniecturam confirmauit, quas paucis recensere iuuabit. Pro-
uocat primum ad Hebraicum קָטָו quod nullo modo respondet no-
mini κονία , contrariam potius habet significationem. קָטָו enim signi-

*) Hic versus est in aliis editionibus vndecimus.

**) In quibusdam editionibus constituit vers. decimum octauum.

significat nihil aliud nisi *solidum* s. *fusam massam*, cf. Cap. XXXVII, 18. *καλός* autem de pulvere sumitur, adeoque de re quadam tenui et leui, quae facile dispergi atque separari potest. Quomodo igitur haec diuersa coniunges, nisi aliam vocem substitueris? Quod cum ita sit, vix aptior erit alia, quam haec a GRABIO substituta, vt ipse quae hebraico nomini optime respondet. Praeterea *בָּרַב* 3 Reg. VIII, 16. per *χρῆμα* (vel iuxta quaedam exemplaria *χρῆμα*) et 2 Paralip. IV, 3. per *χρῆμα*, cui *χρῆμα* aequipollet, exprimitur. His itaque de causis non magnopere contra *grabianam* lectionem pugnaremus, si modo eam pro more suo in Textum non inseruisset, quod hoc etiam in loco audacius ab eo factum esse putamus. Est enim coniectura ista satis probabilis sit, tamen alia interpretatio magis se nobis commendat. *בָּרַב* enim h. l. rectius, si quid videmus, et ad Scriptoris sacri finem aptius, de loco angusto explicatur, ita vt ad rad. *בָּרַב* potius quam ad *בָּרַב* referri debeat.

Schol. Laudem meretur correctio Cap. XXXIX, 16. a GRABIO facta, vbi *ἐαυτῆ* posuit pro *ἐαυτῶν*, ita iubente non modo Textu *hebr.* sed etiam reliquorum interpretum autoritate. Sensus enim non potest esse alius quam hic: *Durius tractat filios suos, quasi non haberet eos pro suis*, s. vt *HIERON.* habet, *ne sint eius*. Vix itaque dubitandum est, quin ab incauto quodam Librario *litera v* perperam sit adposita voci *ἐαυτῆ*.

§. XXV.

Cap. XXXIX, 26. *ἔσηκεν* mutauit GRABIVS in *ἔπηκεν*. Nos diiudicamus hanc lectionem e nexu et inprimis ex sequente hemistichio, quod verba eiusdem argumenti complectitur. Atque id quidem est, cur GRABII mutationem reiiciamus, atque communem lectionem tanquam *τῶν ὁ*. translationem defendamus. Hi enim, vt Tautologiam euitarent, *בָּרַב* per *ἔσηκεν* vertere maluerunt, quam per *ἔπηκεν*, quod posterius, vt ipse GRABIVS fatetur, est minus vsitatum. Nec simpliciter, vt vult GRABIVS, verum est, Textum hebraicum requirere notionem *volare*. At, dices, aberrat tamen haec translatio a veritate hebraica, sed ne hoc quidem omnino concedimus, quoniam verbi *בָּרַב* significatio non satis certa est atque stabilita. Alii enim *בָּרַב* exprimendum esse putant *volabit*, alii *plumescit*, alii aliter. Nobis sane non spernenda esse videtur *τῶν ὁ*. interpretatio, quae hunc dat sensum: *num per prudentiam tuam stauit,*

tuit sese, f. stetit, accipiter? Stare autem h. l. cum de aue fermo sit, in oppositione ad volarum, nihil aliud esse putamus, quam volandi finem facere et vires colligere. Sicque bene responder Hebr. אָבִיר, cuius primitiua significatio, vt ex Deriuatis videmus, non alia fuit, quam *firmavit sese*.

§. XXVI.

Cap. XL, 15. vocem ἀγέω pro ταρτάρω iuxta hebraicum תָּרַו substituit; quam correctionem non necessariam putamus, quia communis lectio bene cum reliquis coniungi potest. Τάρταρος enim omne inferum designat, idque indicare volunt οἱ ὄ. cum vocem istam *excellis locis* s. montibus opponant. Praeterea non videmus, quomodo ex ἀγέω oriri potuisset ταρτάρω, quae vix vllam similitudinis speciem habent.

Schol. Parum habet difficultatis sequens mutatio v. 18. vbi ὅτε posuit pro ὄτι, suffragante HIERONYMI versione: *quum illis fuerit*.

§. XXVII.

In eodem Cap. v. 19. Participium ἐσκολιευόμενος cum ω exprimendum duxit GRABIVS, et adhuc melius legi existimauit, ἐσκαλευόμενος, quia οἱ LXX. hebraicum שָׁקַט Exod. X, 7. et Deut. VII, 16. σκῆλον i. e. *scandalum* reddiderunt. Posterius quidem concedimus GRABIO, nihilominus tamen dubitamus, mutationem ab illo propositam nostram facere, quia nullius siue Codicis siue Interpretis antiquioris autoritate nititur. Cum enim satis apertum sit, τοῖς ὄ. receptae vocis שָׁקַט significationi h. l. inhaerere noluisse, perinde erit, vtrum verbum istud quod adhibuerunt, cum ω, aut cum ο scribere voluerimus. Posteriolem scribendi rationem, quae vsitata est, si defendimus, deriuanda erit haec vox a σκολιός *obliquus* vel *tortuosus*, et sensum habebimus haud ineptum. Inhaeremus itaque huic lectioni, quia GRABIVS eam non modo citra necessitatem, sed etiam sine autoritate mutare voluit.

Schol. Ita quoque minus necessariam putamus mutationem vocis δυνάμεως, Cap. XLI, 3. in δυνάμεων, cum satis notum sit, hos Interpretes saepius singularem et pluralem commutasse. Cap. XLII, 10. τὰ in πάντα mutauit. Cum in ceteris Codicibus quos nouimus, nec τὰ, nec πάντα inueniatur, lectionem τὰ quae in alex. Cod. existabat, tanquam Glossema consideramus, quod Librarii cuiusdam vitio in Textum irrepsit.

cis denique attingimus sequentem correctionem, vbi vers. 16. post πάντα articulum α inseruit, quem occasione vltimae literae α proxime praecedentis vocis excidisse putauit.

§. XXVIII.

Progredimur ad correctiones in libro Prouerbiorum Salomonis a GRABIO factas. Cap. IV, 3. pro Ἰθὶ μὴ ἐκλυόμενος posuit Ἰθὶ μὴ ἐκκλειόμενος, vt rectius exprimeret verba textus hebr. יְהִי לְךָ יְהִי לְךָ. Ad primum, quod attinet, non negamus, lectionem Ἰθὶ propius quam Ἰθὶ ad hebr. veritatem accedere, et facile fieri potuisse, vt Librarii vitamque vocem permutarent. Hanc GRABII coniecturam tuerent quoque *Aquila*, *Symmachus* et *Theodotus*, qui habent προεῖπον. An vero lectio μὴ ἐκκλειόμενος, quam GRABIVS sine vlla haesitatione Textui inseruit, satis recte se habeat, de eo adhuc valde dubitamus. Praecipuum pro coniectura sua argumentum petiit ex Pf. LXVII, 31. vbi עָנָן per ἀποκλείω in vers. τῶν ὁ. exprimitur. Cumque ἐκκλείω et ἀποκλείω, vbi de via sermo est, eundem fere sensum habeant, qui est, *viam intercludere*, veram huius loci lectionem et explicationem inuenisse sibi visus est. Ita enim verba Textus interpretatur: *vade, in cursu non prohibitus*. Gratulatur etiam sibi de assensu Vulgatae, quae habet: *Discurre, festina*. Hoc autem, si locum haberet argumentum, veremur, ne idem GRABIO, quod aliis, vicio vertendum sit, scilicet quod genuinas lectiones τῶν ὁ. e versione latina restituere allaborauerit. Sed mittamus haec, et nostram potius sententiam de hoc loco libere exponamus. Vix vlla mutatione opus esse nobis videtur. Recepta enim lectio non modo bonum dat sensum, sed etiam consuetudine τῶν ὁ. aliorumque Interpretum consensu nititur. Nihil aliud sibi volunt verba ista Ἰθὶ μὴ ἐκλυόμενος, quam hoc, *ne sis remissus s. tardus*. Et cum hac interpretatione tum sequentia verba Textus hebr. *urge amicum tuum, rum ebald. syr. et arab. versiones consentiunt*. Chaldaeus enim habet, *vade, suscita velociter amicum tuum*. Syrus, *solicita amicum tuum*. Arabs, *abi impiger, pete amicum tuum*. Hae omnes interpretationes etsi in verbis paululum diuersae, omnes tamen celeritatem actionis de qua h. l. sermo est, innuunt, sicque sensum eundem habent, quem ὁ ὁ. expresserunt. Si autem obiecerit aliquis, lectionem receptam τῶν ὁ. h. l. nimis ab hebr. veritate recedere, respondemus, idem

idem etiam contra lectionem a GRABIO propositam moneri posse. Sed ne haec quidem obiectio multum contra nos valebit, cum a consuetudine horum interpretum haud alienum sit, verborum significationes pro Textus ratione immutare. Hinc factum est, ut non nisi vnico in loco qui exstat Ezech. XXXII, 2. propriae verbi וַיִּשְׁרַח significationem per καταπατήν expresserint. Alibi hoc verbum vel per ταράσσειν , vt Ezech. XXXIV, 18; vel per Φεράσσειν vt Prou. XXV, 26. interpretati sunt, ne de loco Ps. LXVII, 31. quem GRABIVS iam allegauit, quicquam dicamus.

§. XXIX.

Cap. VII, 8. $\alpha\lambda\acute{\omega}\nu\tau\alpha$, *vagamtem* (ab inusitato $\alpha\lambda\acute{\omega}\iota\omega$ pro quo plerumque $\alpha\lambda\acute{\omega}\mu\omega\iota$ legitur) posuit GRABIVS pro $\lambda\alpha\lambda\acute{\omega}\nu\tau\alpha$. Fatemur quidem, ingeniosam esse hanc correctionem, quae eo magis nobis placuit, quo minus recepta lectio $\lambda\alpha\lambda\acute{\omega}\nu\tau\alpha$ Textui hebraico responderet: nihilominus quia omnes reliquos Interpretes antiquos in lectione $\lambda\alpha\lambda\acute{\omega}\nu\tau\alpha$ consentire videmus, diu multumque dubitauimus, si ne GRABII an communis lectio praeferenda? Codicum vero autoritas, cum desideretur, tutissimum esse putamus, ad illam $\tau\acute{\omega}\nu \delta'$ consuetudinem confugere, qua hebraicam veritatem saepius neglexerunt, atque ex ingenio suo interpretati sunt. Quod si fecerimus, bonum habebimus sensum, cui etiam reliquos Interpretes h. l. inhaesisse constat. Statuimus itaque, $\tau\acute{\omega}\nu \delta'$ vt Tautologiam evitent, quoniam *vagatio* iam verbo παραπερεύεσθαι expressa erat, h. l. aliam vocem substituisse, adeo vt $\lambda\alpha\lambda\acute{\omega}\nu\tau\alpha$ sit: *vocem emittentem* s. voce signum dantem, vt mulier ei obuiam veniat. Nam sola ambulatione sub vespertinum diei crepusculum in noctis obscuritate atque caligine mulier scire non potuisset, quid illud sibi veller.

Schol. Cap. VIII, 18. vocem παλαιῶν in locum πολλῶν substituit iuxta Hebr. רַבִּינָן . Vt defenderet hanc suam correctionem prouocauit ad versionem *Pendulianis*, quae habet ὑπαρξίς παλαιῶ et *Symmachi*, quae legit βίος παλαιός . His adhuc addenda erit autoritas Syri Interpretis, qui habet *et opes antiquae*. Cum itaque haec interpretatio non careat testibus, eam omnino admittendam esse putamus, quis de literis h. l. inter se mutatis haud difficilis esse potest quaestio.

§. XXX.

Admodum nobis, si Codicis cuiusdam autoritate muniretur, placeret sequens GRABII correctio, Cap. IX, 12. vbi pro *μόνος ἂν ἀντλήσεις κακὰ* iam *μόνος ἂν τλήσεις κακὰ* legimus, ita vt particulam ἂν GRABIVS omiserit, et ex ἀντλήσεις duas fecerit voces. Multa protulit, quibus hanc suam emendationem confirmaret. Prouocat primum ad dissensum Codicum. Nam MS. alex. et rom. Editio habent ἂν ἀντλήσεις; aldinum vero et complutense exemplar vna cum MS. Laud. K. 96. et Archiu. Bodlei. B. 34. Particulam ἂν omiserunt. Addit deinde, quod phrasis ἀντλήσεις κακὰ, *baurics mala* sit durior ac ab hebraeo textu discrepans, τλήσεις κακὰ autem perpetuo apud alios Scriptores vsu, primoque intuitu probari videatur, ac Hebraeo exacte respondeat. Nobis de hac lectione dubium non est, inprimis cum notum sit, Librarios saepius vel sillabas, vel verba iterasse, omnesque voces continuo literarum nexu inter se olim iunctas fuisse. *Grabianam* quoque lectionem tuetur *Chaldaeus*, qui vertit, *solus portabis*. *Syriaca* tamen versio habet, *tu solus baurics ipsa mala tua*, vnde perspicitur, satis antiquam esse illam communem in Textu τῶν ὁ. lectionem.

Schol. Non sine ratione Cap. X, 11. χεῖλει pro χειρὶ posuit, nam in Hebraeo est H , quod *os* indeque etiam *labia* denorat, *manum* autem nulls ratione significare potest. Prouocat ad Cap. XII, 14. et XXXI. vers. vii. vbi exempla permutatorum χειρῶν et χειλέων obuia sunt. Sic quoque *Aquila* et *Symmachus* vocem H recte interpretati sunt per *σέμα*, in quo consentiunt reliqui Interpretes omnes, praeter Arabem, qui pro more suo sequutus est lectionem τῶν ὁ.

§. XXXI.

Eiusdem Cap. X, 18. δίκαια mutauit in ἀδικα, vt hoc ipso in loco habet *Symmachus* interpretatio, iuxta Hebraeum H , quod *oi* LXX. innumeris in locis ἀδικον et ἀδικίαν reddiderunt. Vix dubitandum est, quin versio τῶν ὁ. h. l. culpa Librariorum sit vitata. Non possumus enim a nobis impetrare, vt ipsis interpretibus lectionem oppido falsam et omnibus reliquis interpretationibus repugnantem tribueremus, cum vocem H in sacro Codice satis frequentem alibi rectius expressam videamus. Admittimus itaque

GRA.

GRABII emendationem, cui praeter *Symmacum*, *Aquila* quoque et *Theodotion* fauent, qui habent ψεύδους.

Schol. Vers. 24. pro ἀπαλείξ posuit ἀπερία, quia hebraicum מְרִירָה timorem significat, vel anxietatem. Non videmus tantam, quantum GRABIVS vidisse putat similitudinem inter has voces, nec inuenimus respectu huius vocis discrepantiam Codicum. Dabitamus itaque a recepta lectione huius vocis recedere, imprimis cum illi fauet syriaca interpretatio, quae habet, *Impius ad interitum trahitur*. Ita quoque *Arabs*, cuius haec est interpretatio, *Iniquus versatur in interitu*. Vers. 29. ὁδός iuxta hebraicum דָּרַךְ posuit pro φόβος, quam correctionem non magnopere necessariam putamus, quia interpretatio τῶν ὁ. cum illa significatione, qua דָּרַךְ saepius in sacris literis viuendi rationem a Deo hominibus praescriptam designat, omnino coniungi potest. Cap. XII, 14. vocem χειρῶν loco χειλέων iuxta Hebraicum substituit GRABIVS, mutatione fere eadem cum illa, quam in Schol. ad §. XXX. notauimus. Id vnum modo obseruamus, hanc lectionem defendi *Aquila* et *Symmaci* versionibus, in quibus legitur καὶ ἀμοιβὴ χειρῶν αὐτῆ. Praeterea GRABIVS prouocauit ad Cap. XXXI. v. vii. vbi in pluribus exemplaribus perperam χειλέων legitur, excepta *compl. tensi* editione, quae recte habet χειρῶν, quomodo etiam *Aquila*, *Symmacus* et *Theodotion* ibi interpretati sunt. Paucis attigisse sufficit sequentem correctionem Cap. XIII, 13. vbi GRABIVS futurum ὑμῶν ἐ pro praesenti ὑμῶν ἐ iuxta *Hebr.* posuit. Antitheses eam commendant, nec vnicus hic est locus, vbi literam i Librariorum culpa irrepuisse deprehendimus.

§. XXXII.

Cap. XVII, 7. πῖσά mutauit in περισσά, quae mutatio minus se commendat nobis, *tum*, quia recepta lectio autoritate Syri munitur; *tum* quia πῖσά bene cum consuetudine τῶν ὁ. conuenit, quos seimus eo potissimum laborasse, vt sensum Scriptoris exprimerent. Hunc autem sensum auctoris fuisse, ex altero hemistichio satis cognosci potest, quod iuxta hanc translationem priori praeclare respondet. Quae cum ita sint, nihil refert, quod *Hebr.* מְרִירָה saepissime a LXX. redditum sit περισσόν et περισσεία. Illis enim in locis conexio cum ceteris hanc translationem requirere videbatur, quod aliter se habet in loco nostro. Quod autem horum vocabulorum significationes plane nulla ex parte coniungi possint, non omnino concedimus, quoniam *oratio fide digna etiam excellens* dici potest.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Cap. XIX, 5. GRABIVS posuit ἐγκαλῶν ἀδίκως (licet mendose in editione ipsa legatur ἐγκαλῶν). Tam grauibus argumentis haec coniectura confirmata est, vt de illa quoad ἐγκαλῶν plane nobis dubium non sit. Nititur enim versu nono, qui in omnibus fere huic respondet, idemque habet verbum. Miramur tamen, GRABIVM pro ἀδίκως posuisse ἀδικίας, cum tamen sine dubio ex versu nono petenda sit vera lectio κακίας. Aliud argumentum inde desumpsit, quod οἱ LXX. hebraicum פִּיפִּי aliquoties ita verterint in *Prouerbiis* Cap. VI, 19. XIV, 5. 25. Occasionem autem huius correctionis ducit GRABIVS ex impericia Librarii, qui illam lectionem forte non intelligens ob metaphoram, perperam inde fecerit ἐγκαλῶν ἀδίκως.

§. XXXIV.

Eodem Cap. XIX, 10. pro verbo δυνασεύειν excudi fecit δυνασῶν iuxta Hebraicum דִּינָשׁ. GRABIVS hanc lectionem tribuit Librariis, eamque inde natam existimat, quod Librarii praecedens verbum ἀρχηται in significatione *incipiendi* haud recte fumentes, Infinitiuum δυνασεύειν inde subiunxerint, cum tamen potius ἀρχηται iuxta hebraicum *dominandi* notionem habeat. Elegantem dici posse hanc coniecturam putamus, vrpote quae non modo sensum Textus hebraici rectissime exprimit, sed aliorum etiam Interpretum testimonio et auctoritate satis munitur, ita vt illam defendere non dubitemus. Pugnat pro ea *Theodotion*, cuius haec est interpretatio, οὐδὲ δούλω (συμφέρει) ἐξουσιάζειν ἀρχόντων. Ad postremam vocem pertinet Scholion illud in Edit. rom. allatum, οἱ λοιποὶ, δεσπότου, δυνάσου. Suffragatur etiam *Chaldaeus*, qui habet, neque seruum (*deceet*) dominari cum Principibus. His denique addimus testimonium Syri, cuius haec est interpretatio, neque seruo (*conuenit*) dominari Magistratibus.

Schol. Minoris momenti sequuntur coniecturae, quas paucis attingimus. Primum non pugnamus contra emendationem versu sequente n. factam: vbi GRABIVS νοήμων pro ἐλεήμων posuit. Hanc correctionem suadet consuetudo horum Interpretum, qui hebraicum לֵבָבִי eiusque Deriuata nusquam alibi in *miseri cordiae* sensu interpretati, voce autem νοήμων in hoc ipso *Prouerbiorum* libro Cap. X, 16. 20. XIV, 37. XVII, 2. etc. vsi sunt. Tuentur etiam hanc mutationem *Aquilae* et *Theodotionis* versiones, quae
ita

ita se habent *Φρόνητις ἀνθρώπου μακροθυμία αὐτῆς*. Praeterea quoque Syrus et Chaldaeus pro hac emendatione pugnant. Ille enim habet: *Prudentia viri longanimitas eius est*, hic vero, *Intellectus hominis est differre favorem suum*. Accedit denique, quod vox *νοήμων* proximis verbis melius respondeat. Deinde quod ad correctionem Cap. XXII, 23, factam attinet, ubi *ἐύσει τὴν* pro *ἐύση σὴν* exprimendum curavit, mutationem vocis *σὴν* in *τὴν* non reprehendimus: nimirum auctoritate Cod. Laud. 96. ad quem prouocavit GRABIVS: quod autem pro *ἐύση* posuerit *ἐύσει*, etsi ab omni Codicum praesidio destitutus fuerit, vituperatione vix carebit. Vnicum enim argumentum, quo ad defendendam hanc correctionem vsus est, nobis non sufficere videtur. Textui quidem hebraico aptior h. l. est tertia quam secunda persona, tamen, si secundum hebraicam veri atem emendanda esset lectio huius loci, plane reiciendum esset verbum *ἐύσει*, utpote quod ab hebr. עָבַר est prorsus alienum. Idem fere sentimus de mutatione, quam proximo in loco c. XXIII, 8. fecit, ubi pro *ἐξήμεσει* posuit *ἐξήμεση* in secunda Persona. Accusationem tamen contra sese instituisse videtur, cum ipsemet fateatur, se mutationem istam sine vilius Codicis suffragio fecisse, quod minus recte factum ab illo esse arbitramur.

§. XXXV.

Correctionem Cap. XXIII, 16. sequentem, ubi pro *ἐνδιατρέχειν*, quod *immorandi* vel *conuersandi* significationem habet, mutatis in super literis *ἐνδιατρέχει* exendi fecit, non spernendam esse puramus, donec Codicis cuiusdam suffragium accesserit. Primam enim, facile Librarii literas in his vocibus occurrentes, quarum sonus fere idem erat, permutare potuerunt, quid? quod aliis in locis permutarunt. Deinde hebraica radix *עָבַר* exultandi notionem habet, sicque illi graecum verbum *ἐνδιατρέπτω* melius responderet, quam *ἐνδιατρέθειω*. Versio denique Symmachi, quae haec est, *καὶ γαυραίασιν οἱ νεφροί μὲν*, grabianam lectionem tuetur.

§. XXXVI.

Multa sunt quae pugnant pro coniectura Cap. XXIII, 24. proposita, ubi GRABIVS pro *ἐκτρέφει* educat legendum coniecit *ἐκτρέφῃσει* in deliciis aget. Hanc emendationem commendat sequens hemistichium, omnisque adeo sensus eam requirit. Sed haec omnia paucis tantum attingimus, quia GRABIVS correctionem suam ex consuetudine horum Interpretum satis probauit, ita ut praeter Codicum

H

cum

cum auctoritatem nihil desiderari posse videatur : inprimis cum etiam versio *chald.* et *syri.* hanc lectionem tueantur. Prouocat enim ad Hebraicum חַיִּי et ad locum Hab. I, 10. vbi ἐκτευφῆσαι in eadem significatione occurrit. Nihil praeterea obstat, quod alia exemplaria ibi habeant ἐκτευφῆσαι cum aliis exemplis vsus verbi ἐκτευφῆσαι probari possit.

Schol. Cap. XXVI, 3. pro παρὰνέμω Genitiuum παρὰνέμων iuxta Hebraicum posuit. Lectio autem παρὰνέμω satis bene cum consuetudine τῶν ὁ. conuenire videtur, vt pote qui etiam in praecedente voce hebraicam veritatem neglexerunt. Nolumus multis inhaerere argumento iam saepius commemorato, quod a commutatione Singularis et Pluralis Numeri petitum est: id vnum modo addimus, quod *Theodotion* etiam Singularem habeat, σώματι ἀνοήτα . Deinde Vers. 6. πίετα pro ποιετα posuit GRABIVS, quam mutationem, si etiam nullis confirmaretur exemplis, tamen probaremus, quia nihil facilius est, quam vt Librariorum culpa haec voces permutari potuerint. Addidit GRABIVS, quod medium πίνεδα in significatione astricta quoque occurrat Eccles. II, 24. ac Cap. III, 13. recteque monuit, πίνειν ὄνειδος aeque recte dici ac πίνειν ἀδικίαν Hiob. XV, 16.

§. XXXVII.

Cap. XXVI, 7. post vocem σκελῶν adiecit alteram χολῶν . Multa quibus suam confirmaret coniecturam protulit. Primum, quod Hebraicum חֹלֶה eam vocem requirat; deinde quod *ai* LXX. semper hebr. חֹלֶה per χολῶν reddiderint. Et hoc quidem argumentum hoc loco magni momenti esse videtur. Sensus enim verborum est mancus, si vox χολῶν omittitur. Ex altera vero parte integer est sensus, si voculam istam cum GRABIO adiecimus. Et hunc quidem loci istius obscuri putamus esse sensum: *Auferte vt rem inuitem crura a claudo, et prouerbiū f. acutum dicendi genus (quod est) in ore stultorum.* Addit denique, quod *Symmachus* hoc quoque loco utatur verbis ἀπὸ χολῶν , et occasionem huius omissionis non sine veri specie ducit ex antecedente voce σκελῶν , quam magnam omnino respectu vltimae syllabae habere similitudinem cum voce χολῶν , arbitrat.

Schol. Cap. XXVII, 6. ἐπέστια mutauit in ἰκέστια . Ingeniosa est haec emendatio, quam non repudiamus. Recepta enim lectio ἐκούστια aliena est a sensu vocis Πῆστια , quae non nisi duplici ratione explicari potest: *vel per falsa siue ficta et ementita, vel per supplicia* s. supplicantis gestu humillime

millime oblata. Priorem explicationem præferendam quidem esse putamus, si ad Textum hebr. et nexum verborum respicimus, vox פִּרְרַעַבֵּנִי enim refert sese ad præcedens פִּרְרַעַבֵּנִי: nihilominus, quia versionem τῶν LXX. non ad hebr. veritatem vix accommodandam, sed potissimum ex genio horum Interpretum refingendam esse putamus, ad GRABII partes accedimus. Facile enim fieri potuit, ut Librarii voces ἐκούσια et ἐκείσια inter se permutarent. Consentit etiam *grabiana* lectio cum interpretatione *Aquilae*, quae habet ἰκετικά, et aprior est quam *Symmachii* et *Theodos.* versio τεταραγμένα.

§. XXXVIII.

Cap. XXVIII, 10. pro ἀνομοι διελέυσοντα GRABIVS excudi curavit ἀμομοι διελέντα. Haud male operam suam in hoc loco emendando posuisse GRABIVM, putamus. Si enim communis lectio, quae plane ab hebraica veritate recedit, defendi deberet, non aliud pro illa praesidium haberemus, quam quod a vaga interpretandi ratione τῶν LXX. peti solet. Et sane admodum vaga h. l. esset eorum interpretatio, nisi vitio quodam laboraret, quod pro sua sagacitate detexit et emendavit GRABIVS. Primo enim vox פִּרְרַעַבֵּנִי nullo modo potuit verti per ἀνομοι, recte itaque in eius locum GRABIVS substituit ἀμομοι, quo nomine oi LXX. alibi semper videntur ad exprimendum illud hebraicum פִּרְרַעַבֵּנִי. Quod vero ad mutationem vocis διελέυσοντα in διελέντα attinet, eam recte fuisse institutam, docuit GRABIVS. Prouocavit enim ad *Theodotionem*, quem saepius retinuisse interpretationem τῶν ó. constat, quemque hoc verbo usum esse ex Scholiis editionis *rom.* colligi potest.

Schol. Ultima adhuc reliqua est emendatio in hoc libro facta, quae pertinet ad locum Cap. XXXI, 21. ubi pro χειρίζη GRABIVS posuit χιονίζη. Non displicet nobis haec coniectura, quae ante GRABIVM iam placuit COEGLERIO in Notis ad lib. 1. Constituit apostol. Malleus tamen legere χιονίζει.

§. XXXIX.

Duae illae mutationes, quas in libro Ecclesiastae ex coniectura fecit, non magni sunt ponderis. Cap. VII, 29. ἔτι ante ἐζήτησεν addidit, id suggerente *romana* lectione ἐπεζήτησεν, pro quo ἔτι ἐζήτησεν reponendum esse ex Hebr. פִּרְרַעַבֵּנִי coniecit. Remittimus autem Lectorem ad ea, quae iam supra de his leuib. mutationibus, quae

parum ad Textus perspicuitatem addunt, libere diximus. Deinde Cap. VIII, 12. αὐτῶν in αὐτῶν vt Hebraeo יְהוָה responderet, mutauit. Non difficiles erimus in admittenda hac correctione, quoniam in omnibus fere libris, non dicam capitibus, harum vocum permutationes occurrunt. Sed iam ad finem properemus.

§. XL.

Plures, inquit GRABIVS emendationes easque maioris momenti in Cantico Canticorum suppeditauit Graeci cum Hebraeo Textu collatio. Nimirum, pergit, Cap. II, 5. omnes, quos vidi Codices MSS. pariter ac editi mendose profus habent ἐν μύροις. Iam ORIGENES hunc locum deprauatum iudicauit, eique medelam attulit substituendo ἐν αἰμόροις. Sed neque haec correctio placuit GRABIO, quem ἐν αἰμόροις legendum esse hebraica vox פֶּשֶׁשׁ educit. Et haec quidem lectio magnopere nobis se commendat, etsi non omnia satis accurate a GRABIO exposita sint. Praeterquam enim quod vocem פֶּשֶׁשׁ minus recte cum simili sed diuerso nomine פֶּשֶׁשׁ permutauerit, quoad loca etiam allegata quaedam monenda erunt. Prouocat ad locum 2 Reg. VI, 19. vbi οἱ LXX. vocem istam hebr. per λάγανον, vt putat, interpretati sunt. Sed dubium est, num vox λάγανον l. c. ad פֶּשֶׁשׁ referenda sit, cum potius ad praecedens פֶּשֶׁשׁ pertineat, et hebraico nomini nostro rectius respondere videatur sequens vox ἐρχομένη. Ita fere res se habet in loco parallelo 1 Paral. XVI, 3. vbi פֶּשֶׁשׁ ex sententia GRABII in graeca τῶν ὀ. versione iuxta alex. rom. et ald. Exemplaria exprimitur per αἰμορήτην s. placentaе genus, dictum ab αἰμόρα, quam ATHENAEVS Dipnosoph. lib. 14. C. 14. docet esse μελίττωμα πεπεμεμένον, et HESYCHIVS exponit per σευδαλις ἐφθῆ σὺν μέλιτι. Sed iterum in dubio positum est, sitne vox αἰμορήτην l. c. ad פֶּשֶׁשׁ, an ad פֶּשֶׁשׁ referenda? Quicquid sit, tamen a GRABII partibus stamus, cum recepta lectio μύροις satis aperte pugnet contra Contextum, qui de pane, non autem de vno uentis loquitur, ex ATHENAEO vero et HESYCHIO colligi possit, significationem vocis αἰμόρα huic loco esse satis aptam. Aliud denique subiunxit argumentum e verbis ἀγρος καρδίων ἀνθρώπων σηρίζει Pf. CIII,

CIII, 17. peritum, vt ostenderet, lectionem quam proposuerat, praecedentibus verbis *επιστάτε με* bene respondere.

§. XLI.

Proximam mutationem Cant. V, 1. factam ipsius GRABII verbis recensere, quae haec sunt: „quemadmodum autem Scribae „hoc loco *placentam mellitam* perdiderant, sic contra sequenti Cap. „V, 1. perperam supposuerunt *ἀγρον μετά μέλιτος* pro quo *ἀγρόν* „repositi, inductus Hebraea voce *אגרון*, quae nunquam *panem*, sed „*silvam* *δερμὸν* proprie significat, indeque voce *ἀγρόν* Pl. XLIX, 10. „versa legitur in Editione *ald. complut.* ac MS. *alex.* Vnde cum In- „terpres hic quoque scripsisset: *ἔφαγον ἀγρόν, comedi agrum*, id est, „fructus agri; Librarius hanc phrasin non intelligens, indeque Tex- „tum corruptum ratus, voce *ἀγρον* eum emendandum frustra cen- „suit. Sed minus certa nec necessaria nobis videtur haec emenda- „tio. Cum enim recepta vocis *אגרון* significatio (*silua*) praecedenti „verbo *חָלַק* minus bene conveniat. aptiorem significationem pro „more suo elegerunt hi Interpretes, sicque voce *ἀγρον* vsi sunt. Ean- „dem viam alii quoque Interpretes ingressi sunt. *Syrus* haec ita ver- „tit: *comedi suauitatem meam cum melle meo*. Plerique recentiorum „vocem *אגרון* h. l. cum *Vulgato* de fauo mellis siluestris haud male „explicant. Alii aliter.

§. XLII.

Eodem Cap. V, 13. et Cap. VI, 1. *Φυτάλια* et *Φυτάλιος* repo- „suit pro *Φιάλη* et *Φιάλιος*. Genuinam esse hanc lectionem valde „dubitamus, immo receptam defendimus, inprimis cum *grabiana* „lectio non modo Codicum suffragio, sed etiam aliis omnibus praedi- „ctis destituta sit, et sola nitatur coniectura, hoc loco vt saepius, „parum probabilis. Nos potius nulla hoc loco opus esse mutatione „statuimus. Fatemur quidem, receptam lectionem utroque loco „veritati hebraicae parum convenientem esse. Sed quid hoc? Anne „idem quoque de *grabiana* lectione valet? Si *oi* LXX. voluissent con- „suetam vocis *פִּיאלִיּוֹת* significationem exprimere, vel voce *πικρία* „vri debuissent, quam utroque loco attribuit *Symmachus*, vel voce „*βῆλος*, qua *Ezech.* XVII, 7. 10. vsi sunt. Videmus itaque tum hos

Interpretes putasse, hoc loco aliam voci ערונות competere significationem, tum lectionem a GRABIO ex sola coniectura propositam minus esse accommodatam eorundem ingenio.

Schol. Denique Cap. VIII, 9. ἐπαύσεις mutauit in ἐπαύσεις, sed vt putamus, minus recte. Cum enim *Hebr.* שִׁירָה omnino etiam lectionem ἐπαύσεις admittat, eaque meliorem omnino exhibeat sensum, nihil impedit, quod oī LXX. שִׁירָה nusquam hac, illa autem voce ἐπαύσεις aliquoties verterint. Nouimus enim, hos Interpretes non ad verborum significatus se adstringi passos esse.

§. XLIII.

Restant iam coniecturae in illis libris, quos Apocryphos, siue incertae originis et humanae auctoritatis libros dicere solent, obuias, quas ob nimis magnum illorum numerum, et quia discessus, nostri tempus appropinquat, silentio praetermittimus. Multae illae siue Interpretum siue Librariorum aberrationes nobis cogitationem iniecerunt, ane illi eodem, vt nos, modo, de his libris iudicauerint, ideoque minorem in illis vel vertendis, vel describendis adhibuerint diligentiam? Sed mittimus haec, cum de his iam quaestio non sit instituta.

T A N T V M.



HVMA-

HUMANISSIMO
SCHWARZIO,
HONORVM PHILOSOPHICORVM
CANDIDATO DIGNISSIMO

S. D.

PRAESES.

Spem, quam de TE, Praestantissime Domine Candide, conceperam, haud inanem fuisse, magno opere laetor. Ex quo inter nos versatus es, laude dignum proficiendi studium, felix ingenium, moresque bene compositi tantum ad TE commendandum valuerunt apud eos quibus innotuisti, ut de propensa omnium in TE voluntate certus esse potueris. Quae cum ita sint, valde mihi placuit consilium TVVM de publico eruditionis specimine, antequam discessum parares, edendo, quo viam ad summos in Philosophia honores TIBI aperires. Aequum enim est, ut qui literis bene innutriti sunt, aliisque exemplo vitae academicae rite informandae fuerunt, publicis quoque condecorentur honoribus, ne virtutis praemia obsolescant.

Pro-

Profectus TVOS adprobasti Amplissimo Ordini nostro in examine, quod multa cum laude sustinuiſti. Nihil itaque reliquum erat, quam vt ſpecimen publicum ederes, ſicque fidem datam liberares. Argumentum elegiſti haud ignobile nec tritum, ſed tale, quod ingenio TVO ſtudioque in ſanctioribus literis addiſcendis poſito dignum videbatur. Bene inchoato labore felici cum ſucceſſu deſunctus es, ita vt confidam, non deſuturos TIBI eſſe Virorum doctorum adplauſus. Haud ini- quum TE exhibuiſti GRABII, Viri meritiffimi, iudicem, ſed ſatis caute quae reprehensionem vix effugere poſſe videbantur, diiudicaſti, iuſto ſimul illis quae laude digna erant, ſtatuto pretio. In diſponenda et exaranda hac TVA Diſſertatione conſiliis meis TIBI quidem deeſſe nec volui nec potui, TVA tamen eſt tota: nec quicquam mihi praecipue vindicabo praeter ſocietatem gaudii, quod ex labore bene peracto, ſi recte ominatus fuero, capies.

Quod reliquum eſt, gratulor TIBI ſolem- nem diem, qui honores bene meritos ex decreto Ampliſſimi Ordinis Noſtri a me in TE conferendos TIBI adferet, Deumque T. O. M. precor, vt TIBI gratia ſua adſit, TVOSQUE conatus in rei literariae, inprimis ſacrae, incrementa cedere iubeat feliciter. Vale. Dabam in Academia Fridericiana IIII. Cal. Iunii

MDCCLXVIII.

VIRO

V I R O
PRAENOBLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

SCHWARZ,

SVMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESENTI,

S. P. D.

SEV. IOH. HEIBERG, DISSENT.

HAFNIENSIS.

Ingratus profecto essem, TVLQUE, PRAESTANTISSIME OR-
NATISSIMEQUE SCHWARTZ, qua me amplexus es, bene-
volentia plane indignus, animum erga TE meum publice decla-
randi si occasionem, iamiam mihi oblatam, praetermitterem. Qua
dere, quas TIBI mitto, serena fronte accipe literas, non eo con-
scriptas animo, vt, quas excellentis ingenii TVI dotes merentur,
enarrent laudes. Nam si vél TV laudes TVAS aequo animo ferre
posses, ego certe ob leue meum scripturae genus iis praedicandis
impar essem. Gratulandi potius meumque erga TE amorem pu-
blice testandi causa, has, quas scripto TVO inaugurali adiectas
volo, concinnaui literas. A quo primum enim die TE nosse mi-
hi licuit, amaui TE semper et quidem amore maximo integerrimi-

I

moque,

moque, quo TE et in posterum amaturum esse polliceor. TVOS
mores, TVAM naturae comitatem, TVAM in consuetudine dilexi
suauitatem, doctrinam vero TVAM, TVAMQUE, quam scientiis
philosophicis aequae ac theologicis dedisti operam, suspexi semper
extulique laudibus. Testor itaque TIBI hancce animi in TE mei
conditionem, quam nulla temporum rerumque vicissitudo neque
mutare potest neque auferre, simulque summos in Philosophia hono-
res ab Amplissimo Philosophorum Ordine propediem in TE con-
ferendos impense gratulor. Gratulor honorem, quem ex scripti
TVI inauguralis defensione certissime in TE redundaturum esse
praeuideo. Summum insuper Numen piis imploro precibus, TVIS
vt et in posterum conaminibus felices largiatur successus, efficiat-
que, vt in nominis sui gloriam, in Ecclesiae commodum atque
emolumentum, in FAMILIAE TVAE ornatissimae decus atque
splendorem, in TVI denique ipsius honorem cedant atque orna-
mentum.

De me vero velim TIBI persuadeas, ad omnia, quae a TVI
studiosissimo amantissimoque iure meritoque expectari possunt, of-
ficia, promptum me semper fore atque paratum. Vale AMICORVM
OPTIME, meque amare perge. Dabam in Alma Fridericiana,

III. Calend. Iunii c1800 cclxviii.

CLARISSIMVM
S C H W A R Z,
AMICVM SVVM CARISSIMVM

IO. NICOL. WEISSER.

Quid magnum in verbis Criticum iuuat esse latinis,
Et sudare diu circa Etymon dubium?
Quid nocte atque die monumenta euoluere docta,
Priscum quae quondam progeniuit Latium?
Quidue Poëtarum deliria, carmina rauca,
Difficiles nugas, explicuisse iuuat?
Codicis ast sacri qui vult cognoscere sensum,
Sedulus in sacro codice fit Criticus,
Eligat atque viam, qua SCHVLZIVS atque MICHAELIS,
SEMLERVS, primus qui celebrandus erat,
Incedunt: quorum vestigia TV quoque SCHWARZ.
MI DILECTE premis non sine laude TVA.
Hos imitare viros. Sic templum intrabis honoris,
Et nomen semper viuet in orbe TVVM.




AMICVM SVVM CARISSIMVM
S C H W A R Z
CLARISSIMVM

IO NICOL WESSER

Errata.

- Pag. 10. lin. 27. leg. *quem*
Pag. 12. lin. 12. leg. מחרב
Pag. 13. lin. 14. leg. προσεγγιζόντων
Pag. 15. lin. 26. leg. ψη.
Pag. 26. lin. 1. leg. *eum.*
Pag. 44. lin. 24. leg. *spendendam*
Pag. 45. lin. 21. leg. *afferret*
Pag. 56. lin. 8. leg. פ"ד





Tb 2205

1070

ULB Halle 3
004 716 302





A white rectangular library label with a barcode and the text 'ULB Halle 3' and '004 716 302'. To the right of the label is a faint blue handwritten mark resembling a stylized 'L' or '4'.

R

100







DISSERTATIO INAUGVRALIS PHILOSOPHICO-CRITICA
QVA
MVTATIONES
IN TEXTV CODICIS ALEXANDRINI
A GRABIO EX CONIECTVRA FACTAE
AD EXAMEN REVOCANTVR

QVAM
SVB DIVINI NVMINIS AVSPICIIIS
EX AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
PRAESIDE
VIRO
EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
IOANNE LVDOVICO SCHVLZE
PHILOSOPHIAE DOCTORE
EIVSDEMQUE ET GRAECAE AC ORIENTALIVM LINGVARVM
PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO
PRAECEPTORE SVO ATQVE PATRONO
PIO AMORIS AFFECTV AD CINERES DEVENERANDO
PRO
SVMNIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
ET PRIVILEGIIS
DIE XXXI MAII ANNI MDCCC LXVIII *ab.*
SOLEMNI RITV OBTINENDIS
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBICIET
AVCTOR
IOANNES HERMANNVS SCHWARZ
MAGDEBVRGICVS.

HALAE, TYPIS IOANNIS ANDRAE STEPHANI.